
Ludovici Molinæi
PETRI FILII
APOLOGIA
PRO
EPISTOLA QVÆ
Nupere prodiit ſub nomine
Irenæi Philadelphi
Adverſus
Argutias THEOPHILI ISCANI.

3



Hilarius.

Veritas, ſi arguatur falſi,
Se prodit apertiſſime.

LONDINI,
Typis E. G. *pro* T. W. 1641.

REVERENDO
&
CELEBERRIMO
VIRO
DD. Petro Molinæo,
SS. THEOLOGIÆ DOCTORI ET PROFESSORI; PATRI SUO PLURIMUM COLENDO,

Ludovicus Molinæus
S. P. D.

NOn dubito, Pater observande, quin supervacaneum tibi videatur, me Apologiam aggredi pro Epistola ad Renatum Veridæum, *adversus adversarium, cujus Scriptio in me tantum abest, ut mare trajecerit & ad manus vestras pervenerit, ut vix Londini habeat emptorem, & non nisi augeat numerum librorum in officina Bibliopolæ, destinanda tandem Pharmacopolarum cucullis: Atque parum prudenter me suscipere defensionem argumenti quod extra Angliam*

neminem contra pugnantem habet. Sic enim fieri, ut dum Scriptione quæ publici juris fiet operose amolior a me crimen calumniæ & abstergo maculas, quibus unus tantum homo vix de nomine notus me aspersit, quantulamcunque quam hæc Epistola de me creavit opinionem si non prodigam, saltem in dubio collocem, & dum indico me erroris accusatum fuisse, hoc ipso in suspicionem culpæ cadam. Quocirca, quo tibi constet ratio hujus perinde otii ac negotii, & nulla te incessat admiratio quid mihi cum hoc genere studii ? & unde mihi tantum temporis quod huic operi impendam ? utriusque causam paucis accipe. Mensis jam agitur nonus postquam hanc Epistolam ad cujus defensionem me accingo scripsi. Necdum ejus potuit me pœnitere, tanquam rei nihil ad artem meam pertinentis ; ut quæ partus est quem cujuscunque generis literaturæ homo non putet a se alienum excludere : etenim potius historiam texit quam Theologica enodat. Sed nec interdictum est a natura & lege ut singulus homo non amplius quam singulam artem cognitione complectatur. Neque postquam

quam foras emissa est, unde pedem referre non erat integrum, potui inficiari esse meam, & non vindicare a morsibus Theophili Iscani: *Qui quidem cum apud suos inter quos vivo quædam cum nominis nostri injuria effutisset; excitatum me sensi ad ea contrario scripto eluenda: Quo porro spero ut sanetur, si quid cuiquam bono hæserit offensæ vel suspicionis ex priori nostra dissertatiuncula, in qua interdum paulo urbanius me lusisse non diffiteor. Nec me leviter movit* Iscani *temeritas, cum dicit gravissimos Theologos* Molinæum & Rivetum *si fortè viderint meam Epistolam, non posse non corrugata & irata fronte legere indoctas Chartas & vix ipso contemptu dignas; cum tamen, ut nihil de Reverendo patruo dicam qui Epistolam & emendavit, & typis committi curavit; tu, quem nemo crediderit patrem usque adeo* στοργῇ *cæcum ut liberorum lapsibus laudes tribuat, binis ad me literis eam dignatus sis approbare, & iis ornare elogiis quæ præ verecundiâ reticeo, sed quorum testimonio seriò triumpho; non tam quod mihi eo nomine quicquam magni*

 arrogem

arrogem, conſcius meæ tenuitatis; quam quia habeo validum telum quod magna vi in Iſcanum retorqueam. Sed me maximè ad ſcribendum impulit cupido tuendi & firmandi explicatiùs veritatem, quam Iſcanus ſub obtentu calumnias confutandi labefactat, ut nulli parti addictus ea aſtruerem circa Epiſcopatum quæ putavi conſona ſacris Scripturis, quæque, ni fallor, conſpirant & planè concordant cum tua de Epiſcopatu ſententia. Habes hic cauſam negotii ſeu ſcriptionis ſuſceptæ. Cæterum otio in tam exiguo opere non opus fuit multo; Cujus tamen pluſquam voluiſſem nactus ſum; ſic volente Deo, qui latè ſerpente contagione, quæ duos mihi chariſſimos convictores abſumpſit, & ſub id tempus dilectiſſima conjuge graviſſimo morbo laborante, integrum menſem domo concluſit. Quo temporis ſpatio, omnino exiſtimavi aliquot horas quotidie non malè collocatas quas huic opellæ deciderem. In qua quidem me attemperavi rationi ſcribendi ab Iſcano inſtitutæ, qui præter expectationem, longiorem narrationem perſtrinxiſſe contentus, Theologica

quæ

quæ obiter tantum attigeram fusius pertractat. Porrò si Iscano licuit convitiis suis prætexere magnum patronum, eumq; sacri ordinis Reverendum virum: multo magis candidæ & modestæ huic tractationi, dabitur licentia sub tuo patrocinio lucem aspiciendi. Hoc ergo quicquid id est, tuæ tutelæ committo & judicio submitto. Vale plurimum. Deus te Ecclesiæ suæ, & familiæ tuæ quam diutissimè servet incolumem, teque sancto suo favore prosequi & patrocinio protegere pergat. Datum Londini Idibus Sextilibus, 1641.

Apologia

APOLOGIA
PRO
Epiſtola ad Renatum Veridæum.

ANno ſuperiori ſcripſeram Epiſtolam ad Reverendum & celeberrimum virum, *Andream Rivetum*, quem turbato ordine literarum, vocaveram *Renatum Veridæum*; in quâ homini cupido cognoſcendi, quo in ſtatu eſſent res Eccleſiæ in *Anglia*, aperiebam, quibus artibus aliquot *Epiſcopi* & eorũ Mancipia, tenentes Eccleſiæ clavum, nuperè omnem operã dederunt, ut facies externa Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ad Papiſmum propiùs accederet, & quod gravius eſt, ut ſancta Doctrina, Poteſtantium fidei in omnibus conſona, corrumperetur, & placitis Pontificiorum quàm ſimillima eſſet; idque palam faciebam prolatis illorum ſcriptis, & factis, necnon canonibus, quos in pſeudo-Synodo decreverant. Sed ne omnes ejuſdem criminis Epiſcopos, alioſque de clero arceſſerem, neve eâdem corruptelâ involverem Eccleſiam, quam ab *Henrico* VIII. ſibi Deus ſervavit orthodoxam, ſed ægrè exerentem caput, ſub Papalis diſciplinæ reliquiis, nondum, ex quo lux clarior Euangelii Angliæ affulſit, è medio ſublatis; & longè graviùs gementem, ſub *Cantuarienſium* tantiſper exultantium tyrannide,

quam in conscientias, non ita pridem usurpaverant; segregavi à familia Romanensium Episcoporum, eorumque sectatorum, viros primarios & fidissimos Dei servos, qui hoc & superiori seculo floruerunt, quique nec in dies gliscentium authoritas, nec jampridem introductarum corruptelarum, fautores hactenus extitere: E quorum numero dixi esse Reverendissimos & amplissimos viros, *Usserium*, *Davenantium*, *Mortonum*, *Hallum*, *Guilielmum*, *Juxonum*, *&* *Potterum*. Cæterum dixi tyrannidem nuperam *Cantuariensium*, & abusus relictos in disciplinâ lege stabilitâ, non obstitisse, quò minùs qui gemunt sub his corruptelis, hacque tyrannide, quique maximam partem Ecclesiæ Anglicanæ constituunt, non fuerint vera & orthodoxa Ecclesia; nec defuisse unquam qui nonnullibi magno numero, extra conspectum Papaturientium Episcoporum, sedulò prædicationi incumberent, & ritè Sacramenta administrarent. De Episcopatu sic scripsi, ut non eliminandum censuerim, sed potiùs in integrum restituendum Presbyterium, ut Episcopis honor suus, Presbyteris jus suum tribueretur, Synodisque sua redderetur authoritas, ususque frequentior: sumque id secutus temperamentum, quod *Reynoldus*, & post eum vir undecunque doctissimus *Usserius* tradiderunt. Porro in Episcopatum, qualem Anglia hactenus habuit, quia vidi a plerisque bonis improbari, & optari ejus in melius reformationem, asperior fui, & perstrinxi librum Reverendi *Halli*, quo asserit Episcopatum

esse juris Divini, in quo in speciem quicquid habet corruptelæ Episcopatus Angliæ videtur approbari, dum sicco pede præteritur: Quis enim silentium tanti viri in assensionem non vertat? quod quidem à me factum, non contendendi aut contradicendi ambitione, sed veritatis indagandæ studio. Fateor me paulo commotum fuisse, videns virum de Ecclesia Dei tam splendidè meritum, hisce ultimis annis, corruptelis tum in doctrina, tum in disciplina invalescentibus, facilem ad tacendum; ad tuendam verò dignitatem Episcopalem promptum fuisse: Sed profiteor testorque, si se Reverendissimus vir læsum senserit, paratum me esse quibuscunque voluerit modis culpam expiare: Nunquam erit quin amem & observem amplissimum Antistitem, quem si Pater colit, quantò magis revereri decet filium? Hanc Epistolam passus sum ire in vulgus sub alio nomine quàm meo, ratus non esse tutum, regnantibus Cantuariensibus vera eloqui, & veritus ne si agnitus dicerem quæ volo, postmodùm audirem quæ nolo: Prælo Commissa Epistola, unde minus subodorabar, turbas dedit, & nubem excitavit crabronum; Inter alios irritatus unus qui se *Theophilum Iscanum* Reverendo Hallo à sacris indigitat, in meam Epistolam virulentâ Scriptione tantam copiam effudit bilis, ut haud dubium sit quin brevi πικρόχολος sanetur, tanto onere liberatus. Stylus ejus exurgit floribus convitiorum: sputat, non disputat mecum, & usque adeò æstuat ira, ut

interdum latinitate excidat ejus oratio, veluti quando ſcribit, *ſed quæ Reverendum Epiſcopum concernunt* λοιδορήματα. Diſcat interim bonus vir loqui congruè, ſi non ornaté. Me vocat Medicaſtrum, indoctum, ignarum, tyronem, ſciolum, maledicum, calumniatorem, impudentem: Exſibilat ubique *indoctas chartas & vix ipſo contemptu dignas.* Incuſat me Patriæ, quaſi Gallum eſſe mihi vitio eſſet: dicit me fucum facere ementito nomine & titulo, cum tamen quod mihi prædicat, vitium id illi ſit. Voluit ad imitationem Jeſuitæ vapulantis Andreæ Riveti, Philadelphum, ſed titulo tenus, vapulare; cum ſanè dulcedo nominis aliud mereri quàm vapulare videatur. Texit apologiam pro Eccleſiâ Anglicanâ, quaſi quicquam effutiſſem, quod tantillum non cederet in honorem alterius Matris, de qua ſane ſi honorificè non ſentirem & loquerer, averſus eſſem omni gratia: An is de Eccleſiâ Anglicanâ malè loquitur, qui Guliel. Laudum, Montacutum, Regulum, Manarinum, Pocklintonum, Helynum, Coſinum, Kelletum, & alios Altaricolas Papiſmo addictos pro meritis excipit, & ad Eccleſiam Anglicanam non pertinere dicit? Nempe non debueram, inquit Iſcanus, maledicere tantis viris, eoſque calumnioſè traducere. Profectò ſi calumnia eſt veritatem defendere adverſus erroris ſtrophas, & ſine fuco homines depingere, quales ipſi ſe exprimunt, fateor me eſſe è numero calumniatorum: Aut an calumnia eſt diſſentire à Rever. Hallo, aut Epiſcopum

Episcopum Andream nominare, nullâ præfixâ honoris voculâ quâ cohonestetur? cum tamen ipse Iscanus, Calvini & Salmasii sine ullâ honoris additione mentionem faciat, & in unâ pericope Molinæus audiat clarissimus; Andreas verò celeberrimus. Cæterum quòd de R. Andreâ parcius quàm par est scripserim, nec ei quas meretur laudes ascripserim, sibi imputet Archiepiscopus Laudus, qui in Epistolâ quâdam ad Serenissimum Regem, per Re. Parentis mei nominis ruinam, gradum struit ad Andreæ gloriam; quem ideo facit literatorum Deum; Molinæo interim ad sciolorum subsellia detruso: Tantum abest ut me nostrorum φιλαυτία ceperit; ut facilè concesserim, imò ultro agnoverim, Galliam nostram vix habere Seldeno in suo genere eruditionis superiorem; At Usserio Archiepiscopo Armachano ne parem quidem. Dabo quas voluerit Iscanus pœnas, quando tantam Doctorum Anglorum in quoquam nostrum reprehenderit μειονεξίαν; quantum culpamus contemptum nostrorum in Theologis nuperis, Laudo, Montacuto, & similis farinæ hominibus; Sanè Montacutus tantam sibi licentiam usurpat omnes nullo discrimine insectandi, ut quidem sæpe deditâ operâ digrediatur à proposito, ut maledicentiæ telum in obvios quosque jaciat. Vocat Calvinum, Scaligerum, Calvisium, Paræum, schismaticos & singularitate raptos: Genevenses appellat subinde Novatores. Institutio Laico-Seniorum Laudo est novitiolum commentum Calvini. Ego

ſanè quanquam longo intervallo ſubſideam infra tantorum Heroum meritum, venio tamen in partem eorum gloriæ, dum proſcindor ab homine, qui cum deberet Montacuto & Laudo conſpuere in faciem ob peſſimam navatam operam Eccleſiæ Anglicanæ, gratulatur tamen & laudes aſcribit: Parum fuiſſet Iſcano de me malè loqui & fingere, neſcio an aliorum artificiis ſuggeſta, quæ nunquam fuerunt, ſi quod ſubinde inculcat, ſolidè monſtraret, quâ in re quenquam calumniatus, aut de Eccleſiâ Anglicanâ ſecus quàm oportuit locutus fuerim. Quicquid in me congerit Iſcanus, hiſce duobus verbis concluditur, *Mentiris Medice*; niſi quando me ſubinde Gallum vocans & advenam, putat me acuto gladio jugulaſſe. Non abſimiles ſunt Iſcani contumeliæ dicteriis quibus olim Iſraelitæ impetebant Prophetam Eliſæam; Hic eos accuſabat Idololatriæ & deſerti fœderis Dei; Illi verò in hoſtimentum vocabant eum caput calvum; quod quidem rem non attingebat, nec ullatenus attinebat ad doctrinam Prophetæ. Mens recti conſcia, ſceleriſque pura, diſſipat has nebulas maledictorum, quæ ſanè tanquam futilia ſinerem præterfluere, niſi per meum latus cauſa quam ſuſtineo, vulnerata aliqua defenſione indigeret: Nam quod deſcendo in hanc arenam præter mentem meam fuit, & genus ſtudii quod ſequor: Etſi non eſt quòd erubeſcam Epiſtolæ iſtius ad Renatum Veridæum, quaſi rei malè geſtæ, in qua genus ſcriptionis

tionis potiùs hiſtoricum quam polemicum tracta-veram ; maluiſſem tamen reſponſionem tuam, Iſcane, refutandam linquere peritioribus, & in hac palæſtra exercitatioribus, tibique ſolùm contemptum pro clypeo opponere : Laceſſitus tamen à te, qui me toties tyronem, in Theologicis imperitum, ſciolum, & quid non ? vocaſti ; à me impetrare non potui, quin experirer quid poſſint vires meæ : Ubi eas expertus fueris, forſan compereris, Iſcane, Medicos non penitus Theologicarum rerum eſſe ignaros, & rem tibi eſſe non cum Medico, ſed cum Petri Molinæi filio, qui ſanè degener eſſet filius Patris, ſi in ejus ſchola educatus, nonnihil Theologiæ non delibaſſet. Modeſtiam quoque quam me docuit, erga te obſervabo, ubi maximè à te irritor, veritatem quærens, non victoriam ; ne ſi litem ex lite ſero, primo quidem charitatem, mox etiam veritatem amittam. Porro quòd Medicus Theologica tractet, & Theologiæ ſtudio capiatur, non eſt tam inſolens, quàm incongruum eſt, quenquam de Clero, cui hoc opus hic labor eſt totum ſe dare Divinis rebus, Medicinam facere, ut factitatur in Anglia, nuſquam alibi locorum, quod ſciam : Nunquid ſatius eſt ab aſinis ad equos, quàm ab equis ad aſinos tranſire ? Sed planè hoſpes ſit oportet in ratione ſtudiorum inſtituendâ, qui antequam aliquod vitæ genus liberale amplectitur, animo priùs non conceperit, omnes ſcientias & artes, ac proinde Medicinam ancillas eſſe Theologiæ, & ad ejus ſtudium referendas. Aut quis neſcit neminem

minem gratis gratiis esse natum, quem præter disciplinam aut artem in quâ aliquam tenet stationem in republica, non juvet aliquod studii πάρεργον, ad quod relaxandi animi gratiâ uni rei nimis intenti non deflectat, & in quo cum voluptate non ambulet; Id viridarii mihi est studium Theologiæ, in quo expatiando, ad exemplum magnorum Medicorum, qui nostro ævo & superioribus clari vixerunt, in medio Medicarum curarum decîdo aliquot horas. Sed grande flagitium censes Gallum, curiosum esse in alienâ republicâ. Sanè nobis exteris, non debet licere ut in alienæ reipublicæ statum politicum curiositate temeraria inquiramus: at licet extero Christiano & Protestanti, bene precari Ecclesiæ illius regni in quo degit, & (si cuiquam datur) perinde operam in commune emolumentum Ecclesiæ conferre ac quisquam alius. Ubicunque regnat Christus, nemo est, utcunque advena, sub Christo militans, cui non sit æquale jus civitatis cum domi natis. Tu in advenis nascendi sortem punis, illiberalium animarum vitio, patriam, non animum æstimans, nec rem ipsam sine præjudicio pensitans, sed unde regionum prodierit rogans. Quisquis sim & ubicunque natus, nihil fecisse arbitror præter officium alieni, in fœlici regno, & regnante maximo Rege, sub quo hactenus conquievisset ingenua libertas rectè sentiendi & loquendi, nisi nuperè obstitissent aliquot Episcopi. Nunc cùm Dei beneficio tempora mutata sint, ausus sum uti fœlicitate temporum, quibus

recta sentias quæ velis, & quæ sentias fidenter effari liceat. Sed rem ipsam aggrediamur.

Renatus Veridæus Epistolæ meæ præfixerat prædictionem Pauli Sarpii Venetorum Theologi excerptam ex quâdam Epistola quam scripserat Anno 1609. ad Ioh. Leschasserium jurisconsultum Parisiensem, in quâ Sarpius dicit se timere Anglis propter magnam illam quam obtinent potestatem, præsertim ubi Archiepiscopum magni Spiritus nacti fuerunt, & præsentit Episcopos ad absolutam dominationem aspiraturos, divinatque antiquum equitem ascensurum equum Ephippiatum. Hanc prædictionem eventu fuisse comprobatam, omnes norunt, viderunt multi, senserunt plures suo damno. Quis nescit Episcopos Angliæ obtinere majorem jurisdictionem & locum augustiorem quàm alibi regnorum, qui Papæ legibus subsunt? Nunquid in Angliâ Episcopi soli judices sunt in suâ Diœcesi; soli sacris arcent, soli pastores officio & beneficio deturbant, nullis ad consilium adhibitis pastoribus, quibus jus sit dicendæ sententiæ: Nulli Synodo obnoxii sunt extra coitionem comitiorum; quæ cum hactenus raro convocata fuerint, quantam inde licentiam arripuerunt instar equi excusso sessore, cuilibet facile est conjicere. Quod prædicit Sarpius, Episcopos ad absolutam dominationem aspiraturos, non eget probationibus, sed querimoniis; bene est quod aspirârunt tantùm, nec voti compotes fuerunt; Ejusmodi

autem dominationem intelligit Sarpius, quæ ſit affinis ei quam uſurpaverant olim ſub denſa Papatus caligine. Subjicit. *Ego in Anglia equum Ephippiatum videre videor, & aſcenſurum propediem equitem antiquum divino*: nempe præſagit fore ut in Angliâ Epiſcopi eò potentiæ aſſurgant, quæ ſit imitamentum authoritatis Epiſcopalis ſub Regibus Henrico II Johanne & Henrico III. & omnem moveant lapidem ut denuo Papiſmus regnet in Angliâ. Sedulus fruſtra eſſem in re compertâ ſi id probando laborarem. Huic tamen prædictioni neque obſcuræ neque intricatæ Iſcanus dicit eventum non reſpondiſſe. Primùm dicit Epiſcoporum poteſtatem tam anguſtis finibus eſſe circumſcriptam, ut plane deſierit in meram impotentiam, nec cauſam eſſe cur ſuſpecta eſſe debeat. Nempe, ſi fides Iſcano, parva eorum eſt poteſtas, quoniam eorum perſonæ, Synodi & canones ſubjiciuntur publicis comitiis, ideoque eorum authoritas eſt exigua, quia non eſt major quam Parlamenti. Addit Iſcanus Epiſcopos Synodorum coercioni obnoxios eſſe, uti in aliis reformatiſſimis Eccleſiis. Hoc quàm abſit a vero nôrunt graviſſimi Senatores, qui antiquam Synodorum faciem lugent deturpari in Synodis Eccleſiæ Anglicanæ, in quibus deputantes ſunt deputati, & qui ſedent in clavo Eccleſiæ Epiſcopi Decani & Archidiaconi quotquot ſunt in Angliâ præcipuas partes occupant. Forſan Iſcanus nobis obtrudet loco Sy-

nodorum

nodoru , quales inter reformatos Galliæ & Belgii celebrantur, larvas Synodorum, κωφὰ πρόσωπα seu visitationes in quibus Vicarii Episcoporum judices sedent, circumstantibus Presbyteris nudo capite & ne verbum quidem mussitantibus nisi interrogatis: nec quidquã in eis de fide agitatur, sed mercatura exercetur licentiarum, procurationum, & ejusmodi, quæ numerata pecunia emuntur, insigni corruptione visitationum, quales olim cogebantur, in quibus Presbyteri habebant jus dicendæ sententiæ. Etenim juxta Canonem 40. Concilii Agathensis Anno 440. citantur in nomine Synodi comparere. De his visitationibus vide Duarenum de Ministris cap. 11. ubi dicit hos conventus olim indictos, ut Episcopi simul cum Presbyteris de disciplinâ, aliisque rebus deliberarent, & conqueritur honestissimi instituti vix umbram hodie superesse. Denique Iscanus conatur probare Episcopos ad absolutam dominationem nunquam potuisse pervenire: quod quidem concedimus libenter. In magnis voluisse, sat est: Aspiraverunt, sed conatu depulsi sunt.

Nunquam facies finem, non dicam calumniandi, sed fingendi. Ais sect. 111. Epistolam meam a me ideo Scriptam non Anglicè, sed Latinè, ne plagium meum dispalesceret, & proderem consarcinatam fuisse ex nupere editis Anglicè famosis libellis. Sunt alii tibi dissimiles, qui dicunt hanc Epistolã, Reverendi parentis mei esse partum, &

Sedano ad me missam: Qui quidem cavilli si credere fas est conciliabuntur, si quis dixerit me Parenti fecisse copiam illorum libellulorum antequam ad istius Epistolæ scriptionem se accingeret. Sane edita erat regnantibus adhuc Episcopis, & missa Eleutheropolim, antequam comitia regni convocata essent; quo tempore ne mutire quidem fas erat adversus Episcopos; nec dum prodierant Anglici illi quos mihi obtrudis libelli: Tum quid opus fuit aliunde sollicitè conquirere aut libros consulere, ut comperta haberes quæ ipsis oculis identidem fiunt obvia: sane vesanæ superstitionis in nudando capite ad nomen Jesus, at non ad nomen Salvatoris, aut procumbendo versus altare, ipsi oculati sumus testes. Ejusdem farinæ est quod inibi oggeris de Guil. Laudo, cum ais, culicem, leonem obdormiscentem pungere; cum primum enim hæc Epistola prælo commissa est, iste Leo erat vigilans. Jam, siquidem dormit Leo, de quo speras fore, ut expergefiat, absit à me ut pungatur; esset enim planè illiberale, prostratum humi pedibus conculcare; præsertim cùm nimiùm multi canes sint circa unum Actæonem. Leve est, quòd cum Epistolæ vix quadrans de Episcopatu ipso agat; unicuique tamen paginæ præfixum fuerit, *De Episcopatu Anglicano*. Id factum est culpa Typographi Eleutheropolitani, non meâ; nec minùs continet in se Epistola, quàm fert primæ paginæ titulus. Nec hanc fuisse mentem mihi, ut id tituli ad

caput

caput cujusque paginæ apponeretur; fidem facit altera ejus editio Genevæ facta, in quâ non potes reprehendere quod culpas in altera. Parum est quod carpas Iscane, si ejusmodi minutula vellicas.

Eodem Paragrapho dicis iniquè à me paucorũ delicta imputari toti Ecclesiæ Anglicanæ. Erras, Iscane, non tam culpandam quàm deplorandam dixi Ecclesiam Anglicanã, in qua tamen me scribente hanc Epistolam non potest negari Papismum obtinuisse regnum, utcunque maxima pars Ecclesiæ adversa esset, ut qui maximè, omni Papali superstitioni. Sane quandiu Maria Angliæ Regina regnavit, tandiu Anglia potest dici Papæ nomen dedisse; quantumvis Regni major pars Papalia abhorreret. Ut ut sit, sic nupere virus Pontificium longe latéque serpsit ut frustra fuerit quod tentatum est, nec longè eruditissima dissertatio Reverendi Guilielmi de Mensæ sacræ nomine & re, flagrantibus sacrificiis & altaribus edita, obstiterit quò minùs altaria ubique erecta fuerint, & ad ea προσκυνήματα peracta fuerint; Torrens rapidus pravæ doctrinæ unumquemque seu nolentem seu volentem secundum se rapuit. Dixerit Rever. Parens loco quem citas, eversionem Papismi post Deum & Regem deberi præcipuè Episcoporum doctrinæ & industriæ, non officit quin in prima illa reformatione in qua Rex & Episcopi primas partes habuerunt multa superflua non fuerint abolita, ut videre est in

Epistolâ Anonymi, puto fuisse Martyris ad Calvinum paulo ante Edwardi mortem scriptâ.

Paragrapho 4. ais me infamare primam illam reformationem sub Henrico VIII. quod dixerim alias causas impulisse Henricum VIII. ad manum admovendam reformationi, quàm veritatis amorem & studium: Sed pertinaciam Pontificum nolentium consentire in dissolutionem matrimonii ejus cum Catharinâ contracti, accedente Henrici animo pruriente ad novas nuptias subinde convolandi, dedisse occasionem isti non tam reformationi, quàm mutationi moliendæ. Quid tu ad ea? Testaris factam tibi copiam Epistolæ ad Regem Henricum scriptæ, in quâ à Papâ Henrico oblata erat gratia habendi duas simul uxores, modò in causa Catharinæ Papæ obtemperaret, Regem vero conditionem fœdam respuisse indignabundum. At mirum quòd qui religione detinebatur, non ducendi duas simul uxores, postmodum tantùm indulserit suis affectibus, ut nullo religionis vinculo ligatus, tot uxores vel securi percusserit, vel levi de causa repudiârit.

Quibusdam de Henrico VIII. præmissis; paucis ob oculos posueram & exposueram quibus modis & gradibus, cum in Angliâ, tum in Scotiâ reformatio instituta fuerit; in Angliâ notabam reformationem cœpisse a Rege Edwardo, Episcopis & procerum non nullis; nec tamen ita absolutam fuisse, quin superessent plurimæ fæces

Papales

Papales, è quorum numero dixi esse illam ὑπεροχὴν Episcopalem tanto intervallo a Presbyterorum statione dissitam; Hoc tamen Episcopatu vestitos rexisse Ecclesiam viros sanctos, Cranmerum, Latimerum &c qui in splendidâ dignitate Papalem pompam redolente retinuerunt humiles spiritus & partes fidelis Dei Ministri obiverunt: Sub quibus & similibus qui rexerunt Ecclesiam Anglicanam, Deus jam sæculum integrum sibi Ecclesiam servavit visibilem & Orthodoxam. Nec si ulli Episcopi præter Papaturientes præfuissent Ecclesiæ; non defuisse tamen non nullibi fidos verbi Dei Ministros, qui extra eorum conspectum sedulo predicationi incumberent, & ritè sacramenta administrarent. Hic excurrit Iscanus in laudes Ecclesiæ Anglicanæ & pertendit quod ultro admitto; nempe Episcopos sedulò orationi vacantes fuisse membra Ecclesiæ visibilis. Hoc solum dubium movet solutione dignum. Rogat utrum munus Episcopale quale est in Angliâ, an verò ejus exercitium sit Papalis Hierarchia Propago? Item an Cranmerus, Latimerus, Hooperus, optimi viri exercuerunt id muneris ut in Angliâ stabilitum est? si idem munus fuit, Cranmero, Latimero, &c. quod est Laudo, Montacuto, Regulo, Manarino & ejusmodi; cur munus ipsum a me vapulat propter errorem eorum qui id malè exercent? Respondeo, non tantum muneris exercitium, sed & munus ipsum ut obtinet in Angliâ, Papalis

Hierarchiæ

Hierarchiæ esse surculum: Sanctos viros, Cranmerum, Latimerum, &c. secundum leges latas id muneris non exercuisse, ut solenne fuit Montacuto, Regulo, & Manarino. Verum utcunque boni Episcopi Angliæ non exercuerint munus receptum per iniquas leges stabilitum: quatenus tamen sustinent titulo tenus provinciam, quam alii secundum leges positas administrant; non mirum si in turba lateant. Sic non obstat quod Apocal. 16. Imperatoribus nomen bestiæ indatur, utcunque inter eos aliquot fuerint boni & pii.

Consultò, omitto excutere quæ sect. 6. ventilas circa regimen Episcopale, ne hic reponam quæ posteriùs σὺν Θεῷ agitabuntur. Neque a me expectes ut novis elogiis prosequar quorum patrocinium suscepisti hacce sectione & sequenti, viros (si tibi fides) magnos, à me sic maledico ore lacessitos ut triginta sex paginas puris putisque calumniis commaculare non erubuerim. At scias, Iscane, amorem quo prosequor & colo paucum numerum Episcoporum & aliorum Theologorum, virorum sanæ & defæcatæ perinde vitæ ac doctrinæ, impedimento fuisse, quò minùs cornicum oculos configere ausus fuerim, & omnia iniquorum hominum mysteria velo laxato patefacere. Sed quoniam voluisses me pepercisse personis, & de vitiis potiùs dixisse, & non insectari personas, sed vitia, accipe tanquam in brevi tabellâ quibus artibus Cantuarienses hisce

Pag. 16.

ultimis

ultimis annis pro virili moliti ſunt promovere myſterium iniquitatis; quod quidem cum jam magnos progreſſus in Angliâ feciſſet, Deus miſertus Eccleſiæ Anglicanæ aperuit, & telam quam Satan orſus erat detexit, quanquam nondum plane conſcidit, & etiamnum lolii reliquiæ per agrum Eccleſiæ ſparſæ ſint.

Primum & grande artificium fuit dogma quod ante decennium irrepſit; Romanam Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam, qua quidem ambiguitate nutantibus in Religione facile perſuaſerunt tutius eſſe ſe aggregare ad eam religionem quæ ab utraque parte pro vera recipitur, quam addictiorem eſſe ei Religioni quæ ab altera veram eſſe conſtanter pernegatur: Sed boni viri ſciant hoc ſenſu Eccleſiam Romanam etiam dici bonã, quatenus verũ & bonũ cum ente reciprocantur: Suntque hæreticæ Eccleſiæ, veræ Eccleſiæ, non ſecus ac reſpublica male conſtituta eſt vera reſpublica, & homo ulceribus obſitus & peſte contactus eſt verus homo & verè homo: nempe cautè caverunt intelligi per veram Eccleſiam orthodoxam Eccleſiam in qua homines poſſunt ſalvari: Hoc ſenſu nemo eſt Proteſtantium parti addictus qui non inficiatur Eccleſiam Romanam eſſe veram Eccleſiam & moraliter veram.

Secundum artificium eſt dogma quo aſſeritur Eccleſiam Anglicanam à Romana communione non eſſe ſeparatam, & in eſſentialibus & fundamentalibus fidei capitibus, ſed cum Eccleſiâ

Romana conſpirare, & ab ea ſe avellere perinde eſſe, ac ſe à corpore Chriſti abſcindere; ſic loquitur Guilielmus Laudus paſſim in relatione ſua: eſtque hæc doctrina ejus ſectariorum: quibus ideo ſolemne eſt aſſerere per *Eccleſiam Catholicam* de qua in Symbolo non intelligi cœtum fidelium ſeu Eccleſiam inviſibilem,quam quidem ſolent naſo ſuſpendere, ſed cœtum omnium qui, toto orbe, Chriſtianos ſe indigitant, commodam rationem nacti qua ex Eccleſia Romana & aliis Eccleſiis quanquam reformatis conſletur una ſancta & Catholica Eccleſia: verba ſunt Laudi, pag. 62. ſect. 16. num. 5. *Credimus Catholicam Eccleſiam de qua in Symbolo eſſe ſocietatem Chriſtianorum.* Hancque vult ſuo modo dici errare non poſſe, pag. 140. ſect. 19. num. 5. *Catholica Eccleſia non poteſt errare in dogmatibus abſolutè fundamentalibus, & neceſſariis ad omnium hominum ſalutem.* Idque vult niti Chriſti promiſſione Matth. 16. v. 28. pollicentis fore ut portæ inferni non prævaleant adverſus eam, hoc eſt, inquit pag. eâdem & 190. ſect. 25. num. 16. ut *Eccleſia viſibilis aut ſocietas Chriſtianorum, ſeu quod idem eſt, Eccleſia Catholica & militans non erret in fundamentalibus.* Et ubique inculcat Proteſtantes ſeparatos quidem ab erroribus gravioribus Eccleſiæ Romanæ; minimè verò ab ejus cõmunione, à quâ quiſquis ſe retraheret dignus eſſet qui ſchiſmaticus pariter ac hæreticus audiret; cujus rei ratio redditur à Ri. Montacuto Apparat. 7. num. 91.

pag. 283.

pag. 283. *Sectam enim & hæresim non faciunt ii qui constanter retinent doctrinam traditam: neque enim ille Hæreticus dicetur qui per omnia Romanam fidem integerrimam profitetur.* Quoniam autem auribus erat incongruum, corpus Christi seu Ecclesiam Romanam esse bestiam Apocalypticam & fœminam amictam purpurâ & sedentem in ἑπταλόφῳ πόλει, cujus caput sit Antichristus, & filius perditionis prædictus a Paulo; caverunt Laudus, Montacutus, Heilynus, Selfordus & ejusmodi Papalis ædificii tibicines in vulgus emitti, Papam nihil horum esse, sed hæc elogia quadrare vel in Turcam, vel in venturum Antichristum: nempe per hæc commodum putant, animos Romanensium cicurari posse, & adduci ut ultro venientibus ad se Cantuariensibus occurrant. Sed quàm difficile sit, ut qui ἀναμαρτησίαν venditant, à viâ suâ deflectant: imò expectandum sit potiùs ut totâ viâ alii errent, si Romanensibus adjungi volunt, quàm quicquam Romanenses dogmatum suorum deponant, docuit gravissimus senator *Franciscus Rous*, apta & acuta similitudine lintris protenso fune alligati ad rupem, quam dum ad se trahere tentat nauta, ipse ad rupem impellitur.

Tertium artificium fuit introductio placitorum Arminianornm quæ hactenus placuerunt solis Cantuariensibus: commodum enim existimârunt eam sententiam mordicùs arripere quæ non ita pridem in Belgio Protestantes inter se

collisit, quæque cum Calvinistarum (ut loquuntur) doctrina ex adverso pugnat, ut haberent quod purioris Religionis cultoribus, quos Puritanos vocant opponerent, eorumque nonnullos permoverent obtruso dogmate quod solet in vulgus sparsum, esse acceptissimum, quia Divina consilia ex humanis metitur, Deumque humanis affectibus induit; quódque, dum hæc dogmata à plerisque Pontificiorum recipiuntur, viam sternit ad reliqua pariter Papalia amplectenda.

Quartum artificium est detractio de Scripturæ authoritate, ut per id Patrum Scripta, Traditiones & Ecclesiæ Catholicæ interpretationes mirè prædicent, in quæ dumeta se proripiunt Cantuarienses, veriti ne si excurrerent in aperto sacrarum literarum campo, faciliùs comprehenderentur à Protestantibus, quorum pro virili effugiunt manus.

Quintum artificium fuit, Episcoporum potestas & jurisdictio ad cœlum usque elata, usque adeo ut velint Regum coronam tandiu stare sartam & tectam, quandiu incolumis est Episcopatus, & quoniam adhuc sub judice lis est, an Episcopatus seu προστασία Episcoporum in Presbyteros, sit Divinæ institutionis, & à gravibus & de Ecclesia bene meritis pro affirmativâ pugnatum, protinus Cantuarienses avidè pro se id arripuerunt nacti ansam tuendi Episcopatum, ut in Angliâ hactenus fuit lege stabilitum, esse Divinæ & Apostolicæ institutionis, qui alteratio-

nem

nem,nedum abrogationem non patitur, utcunq; reverâ tantum diſtet ab Epiſcopatu veteris Eccleſiæ,quantum diſtant æra lupinis.

Sextum artificium eſt recitatio Liturgiæ, habita colophon & præcipua τῆς διακονίας functio & prælata concionibus ; ſperantibus Cantuarienſibus hâc arte fore ut populus aſſuefiat non plus in fidei doctrina compertum habere quàm Liturgiâ continetur,&maxima pars Paſtorum ſupinâ vecordiâ ſibi inde licentiam ſumat feriandi, & onus paſtorale transferendi in humeros τοῦ τυχόντος; qui vili pretio conductus liturgiam recitet: nec minùs id artificium alit ignorantiam & ſuperſtitionem fovet in Cathedralibus Eccleſiis,ubi liturgia celebratur linguâ non quidem ignotâ, ſed non intelligibili, & preſſo murmure pronunciata, aut voce in canticum flexa, per quam dum deſtituitur animus ſolido nutrimento,aures diſtinentur dulcedine ſoni.

Septimum artificium eſt mutatio loci & nominis menſæ communioni dicatæ, ut deinceps altare appellaretur, & eo loci collocaretur in quo Altaria Papiſtica poſita erant. Hoc Idolo erecto, proximè ſecuta προσκυνήματα· rati Cantuarienſes his ſemel admiſſis prope affuturum ſacrificium reale, idque Miſſaticum : in eundem finem Laudus oratione habita in camerâ ſtellatâ conatur probare plus honori deberi menſæ,quàm pulpito,uſus probatione quæ ſanè riſû moveret ni Deo illuderet, & in qua refellenda pœnitet

operam perdidisse, siquidem talia indicâsse refutare est, nam quid ageres? senem annis gravem fugit ratio, quanquam Relatione, sect. 3. num. 13. pag. 18. de se spoponderit fore ut priusquam moriatur non deliret. Huc pertinet quòd sedulò caverit ne alia scripta quæ de altaribus agunt, lucem aspicerent, quàm quæ altaribus patrocinarentur.

Octavum artificium fuit uniformitatis observandæ in ritibus & cæremoniis Anglicanis mandatisque Ecclesiæ rigida injunctio; officio & beneficio pulsis qui vel latum unguem ab eâ discesserant, & nulli gratiâ factâ beneficiorum collationis, nisi illis qui facti erant ad nutum Cantuariensium: Horrendum dictu est, quot abhinc aliquot annis à Guilielmo Laudo, Matthæo Regulo, & ejusmodi farinæ Episcopis, fidi Dei verbi Ministri ad insitas redacti fuerunt, quot expulsi eo nomine & coacti gregem & lares deserere, quòd salvâ conscientiâ sibi imperare non possent ut decretis eorum parerent.

Toto paragrapho qui est octavus, neque me, neque rem tangis, & magno conatu magnas nugas agis, eademq; fere reponens quæ canones, ut patrocineris genuflexionibus versus altare: Dicis canonem interpretatum fuisse, προσκυνήματα exhiberi nec altari nec mensæ, nec elementis ipsis, nec Orienti, sed tantum uni veróque Deo, tantúmque canones voluisse instillare animis subeuntium tecta sacra reverentiam, ne homines

sese

ſeſe ingererent in templum, tanquam ad popinam euntes, ſine debitâ reverentiâ : Sed non reprehendi in canone, quòd velint reverentiam deberi ab ingredientibus templum, ſed quod inſuper poſtulent, ut ingreſſi templum genuflexiones faciant verſus eam partem Templi in qua eſt altare, ſeu menſa Communioni dicata : Atque potiſſimum perſtrinxi veſanam ſuperſtitionem eorum qui volunt quicquid cultus Deo impenditur ab ingredientibus templum peragi potiùs verſus altare quàm vel pulpitum vel fontem : Maluiſſes, inquis, ut hominum lapſus gentiſque delicta hactenus incluſa Angliæ finibus non patefeciſſem toti mundo. At abſit Bomolatriam quæ unius Archiepiſcopi, ejuſque ſectatorum, qui hunc canonem conflaverunt vitium fuit, imputarim toti genti. Cæterùm qui non puduit malè ſentire & aſſerere Papalia dogmata etiam aliâ linguâ quam maternâ, quod fecit Montacutus, Chounæus, &c. voluitque facta reſpondere ſcriptis, non erubeſcet Papæ addictum audiri extra Angliæ pomæria. Nec eſt quod pertimeſcam offenſam cujuſquam probi quaſi invidioſa proditione detexerim quædam arcana digna ſacro ſilentio : Quin hâc detectione eſt quod boni mihi gratulentur, videntes ſe jam eximi à choro hominum qui ſua dogmata circumferebant pro placitis Eccleſiæ Anglicanæ, & præciſam anſam ſperandi Romanenſibus, qui cœperant occultè lætari in ſinu, & ſibi

ſibi ſpondere, Angliam Eccleſiæ Romanæ mancipatam.

Sed his omiſſis, ne forte dixeris veſtibulum domo majus eſſe, id cujus maximè defenſionem ſuſcepiſti attingam; & primum quod attinet ad renuntiationem Epiſcopatus factam a Grahamo R. Hallus inſtar ſacrilegii exaggeraverat; ut Epiſcopus abrenuntiet muneri ſancto & Apoſtolico: Dixeram ego conſtitutionem humanam, qualis eſt Epiſcoporum ὑπεροχὴ, tandiu retinendam eſſe, quandiu ſtare poteſt cum Eccleſiæ ædificatione, pace & concordia, & in generali deturbatione Epiſcoporum, cum unus torrenti non poſſet ſe opponere, prudenter abieciſſe titulum Epiſcopi, quem ſalva pace Eccleſiæ retinere non poterat, idque potiùs facere debuiſſe, quàm Paſtorem eſſe ſine grege. Quid tu ad ea Iſcane? Dicis ſect. 9. in Eccleſiâ bene conſtitutâ non licere quacunque de cauſa Epiſcopatum abjicere, veluti illicitum & Antichriſtianum, quod fecit Grahamus, retentique hactenus velut ſceleris cujuſdam veniam ſuppliciter precari. Contra hæc non habeo quod regeram, ut qui in ea ſententia ſum, nefas eſſe in Eccleſiâ bene conſtitutâ, qualis fuit Eccleſia ſtatim poſt Apoſtolos, admiſſam πρωτοκαθεδρίαν à quoquam repudiari nedum damnari tanquam rem nefandam, & rectè pronuntiaſſe centum & quinquaginta Patres Concilii Chalcedonenſis ἐπίσκοπον εἰς πρεσβυτέρου βαθμὸν φέρειν ἱεροσυλία ἐστὶ, ut qui occaſionem præbet ſchiſmatis, & fratribus

fratribus eſt offendiculo, dum repudiat rem bonam, quanquam non neceſſariam: ejuſmodi Epiſcopatum ſi Grahamus renuntiaverit, non me habebit laudum ſuarum præconem; ſed auſim aſſerere Grahamum non alium Epiſcopatum ejuraſſe quàm qui in Scotia conſtitutus erat, qui cum non eſſet abſimilis Anglicano, & diſſimillimus eſſet Epiſcopatui veteris Eccleſiæ, fecit ut virum cordatum decet, dum ſatius ducit ſtabilitum Epiſcopatum apud ſuos ad ruinam ſuam quàm meruerat feſtinantem repudiare, ſiquidem melioris ſpes non affulgebat, quam regno exulare cum aliis Epiſcopis, & ridendum ſe exponere tam Pontificiis quàm Proteſtantibus. Tum quidni, imo æquiori jure licuit Grahamo corruptum Epiſcopatum deſerenti & degenti, ubi nullus amplius Epiſcopatus uſus, Presbyter eſſe, ac integrum fuit Epiſcopis Novatianis ad Catholicos redeuntibus Presbyteratu defungi; utcunque nemini ex Epiſcopis Novatianis diu expectandum fuiſſet in tanta Epiſcoporum copia, antequam in demortui locum ſuccederet; etenim canone viii. Concilii Niceni, I. decernitur, ut ſi locus quo Epiſcopi honorem retineat non offertur, ſaltem dignitatem ſacerdotii ſervet, ut vel Choriepiſcopi locum teneat in Parochia, vel Presbyteri in clero: unde duo colligi datur, I. Epiſcopum adeo levi differentia à Presbytero diſtingui, ut non Sacerdotum munere & dignitate, ſed ſolo Epiſcopalis nominis honore diverſus

E ſus

ſus ſit. II. Presbyteratum non potuiſſe niſi graviſſima de cauſa exui; ob leviorem verò Epiſcopatum deponi potuiſſe ſine ſacrilegii crimine, adeoque non abnorme fuiſſe Epiſcopum detrudi ad gradum Presbyteris: ut & patet ex Canone 20. Concilii Conſtantinopolitani IIII. *Non licet Epiſcopo in aliena civitate publicè docere: ſi hoc facere deprehenſus fuerit, ceſſet ab Epiſcopatu: Presbyteri autem munere fungatur*. Sanè Grahamus ob minus crimen ceſſit Epiſcopatu.

Eodem paragrapho pag. 14. dicis me quindecim poſtulata R. Halli ſicco pede præterire, quæ tanquam fundamenta, quindecim capitibus, iiſque prolixis, ſubſtraverat tractationi quam deinceps inſtituit, quæque theſim ipſam attinet: Ad ea in genere reſponderam, illis præſupponi id ipſum quod controvertitur, nempe Epiſcoporum προστασίαν in Presbyteros, & diſcrepantiam à ſe invicem functionibus eſſe Divinæ & Apoſtolicæ inſtitutionis: Quod ſi hoc antecedens ſemel dilucidè probetur, non pugnabo adverſus conſequens, quod eſt; Iſti inſtitutioni Divinæ potiùs inhærendum eſſe quàm ulli diſciplinæ quæ huic adverſetur: veluti ſi quis probaturus eſt diem eſſe, quia ſol lucet, non opus habet diu ſudare in probanda majoris connexione, cui ex ſuppoſitione ſolem lucere, nemo eſt quod ſciam niſi hebes qui non conſentiat, ergo affirmanti diem non eſſe, ſatis eſt ſi probet ſolem non lucere. Hic mea res agitur. Major R. Halli, eaque Hypothetica,

Hypothetica, in cujus connexione probanda dixi ab eo insumi quindecim capita, hæc fuit.

Si ejusmodi Episcoporum προστασία cum adjuncta potestate jurisdictionis & ordinationis, institutionis est Divinæ & Apostolicæ, ei omnino potiùs inhærendum est.
Atqui verum prius,
Ergo & posterius.

Majoris connexionem cum concederem, putavi præter rem & rationem esse diutius ei inhærere; Potiùs operæ pretium esse ducens majoris antecedens ventilare, & nunquid vero consentanea esset? conquirere. Hic Iscanus commotior voluisset me sigillatim ad ea quindecim capita respondere. Age, fiat (Iscane) siquidem vis me operam perdere; percurramus ea tecum. Habebis me in plerisque consentientem.

I. Fateor illam regiminis formam à Christo & Apostolis fundatam esse, Divinæ & Apostolicæ institutionis.

II. Fateor praxim & præceptum Apostolorum abunde sufficere stabiliendæ Apostolicæ institutioni.

III. Fateor disciplinam Ecclesiasticam præscriptam ab Apostolis, exemplar perpetuũ fuisse Ecclesiis succedentiũ seculorũ, quod sequerentur

IV. Fateor, Quicquid contra Parkerus statuat, universam praxim Ecclesiæ proximæ ab Apostolis, optimum esse ὁδηγὸν, & indicare viam quæ nobis insistenda ad constituendam disciplinam: Sed addendum erat in Historia seculi,

 quod

quod proximè Apoſtolos excepit, tot eſſe hiatus & lacunas, tot inveniri ſcripta ſuppoſititia, tot denique quæ genuina habemus Pontificiorum fraude adulterata Patrum ſcripta, ut via ante ſit prætentanda quàm quicquam de ſtatu Eccleſiæ illius temporis ſeſe offerat.

V. Fateor patres primitivæ Eccleſiæ nec auſos nec voluiſſe aliam conſtituere diſciplinam ab ea quàm acceperant ab Apoſtolis. Addendum tamen, per Patres primitivæ Eccleſiæ intelligendos Apoſtolorum diſcipulos. Quis enim neſcit Patres qui poſtliminio vixerunt plus auſos fuiſſe quàm rectum & orthodoxum fuit, tam in doctrina fidei tradenda, quàm in regimine Eccleſiæ à Chriſti præſcripto innovando.

VI. Fateor etiam eorum ſucceſſores quanquam in animum induxiſſent formam traditam ab Apoſtolis immutare, id tamen non potuiſſe parvo temporis ſpatio efficere; nec ſpargere aliam per totum Chriſtianum orbem religionis formam, niſi intra longum temporis intervallum.

VII. Fateor antiquiſſima Eccleſiæ monumenta & primorum Patrum ſcripta plus fidei habere in deſcriptione primævæ Eccleſiæ quàm valent conjecturæ recentiorum authorum. Addi tamen debuit, niſi quando recentiores conjecturæ digito monſtrant Patrum ſcripta injuria temporis vel corrupta aut interpolata fuiſſe:

VIII. Fateor quos vetus Eccleſia hæreticis accenſet,

accenset, non idoneos esse judices in hac materia: Hic procul dubio R. Hallus Aerium intelligit, qui censuit Episcopatum à Presbyteratu nulla differentia discerni, sed an propterea inter hæreticos ponitur ab Augustino de hæresibus cap. 53. & Epiphanio. hæresi 75. meritò dubitari potest, quia sententia ejus non fuit damnata à quaquam Synodo, nec Theodoretus, nec Socrates, nec Sozomenus, istius hæreseos meminerunt. Sed non capitalia sunt alia dogmata, ob quæ Hæreticus audit; qualia sunt 1. non orandum esse pro mortuis 2. certos dies jejuniorum non esse constituendos. 3. Sanctos vita functos non esse invocandos. 4. Judæorum Pascha non esse observandum. Tantum abest ut propterea Aerius damnandus fuerit tanquam hæreticus, ut potiùs credendum, hæreseos debuisse arcessi, qui eo nomine Aerium Hæreticis accẽsuerunt, nisi planè æstimandum esset, ideo hæreticum vocatum à Sanctis Patribus, quod homo cerebrosus & contumax Ecclesiæ unionem abrumperet, dum consuetudinibus minimè malis & ubique receptis resistebat; qualis erat mos jejunandi ante Pascha, & receptus in Ecclesia Episcopatus, ob quem quia à communione Ecclesiæ se separabat, potuit poni inter Hæreticos de quibus Canone 6. Concilii primi Constantinopolitani agitur, qui retinentes fidei fundamentum, ἀποσχίζονται καὶ ἀντισυνάγονται τοῖς κανονικοῖς ἐπισκόποις. *Qui se abscindunt & avellunt à Canonicis Episcopis.* Quid quod si ob

ſententiam ſuper Epiſcopi & Presbyteri ἰσοτιμία Aerius traducendus fuit pro Hæretico? mirum ni Hieronymus in crimen ejuſdem hæreſeos incurrere debeat, ut qui in eâdem ſententiâ fuit circa Epiſcopatum qua Aerius, planè eadem Scripturæ præſidia & argumenta adhibens; non dubium etiam quin eadem hæreſi involvi debeant Theodoretus, Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Oecumenius & Theophylactus, qui unanimi conſenſu ſenſerunt ordinem Epiſcoporum & Presbyterorum eundem eſſe jure divino, quemadmodum teſtatur ex Medina Rever. Mortonus, Apolog. part. 2. cap. 8 pag. 297. & paulo poſt cap. 12.

IX. Nonum fundamentum omnino patitur exceptiones & falſitate laborat, ſi ad Epiſcopatum Anglicanum referatur. *viz.* Honoris additamenta Regum liberalitate conceſſa Epiſcopis nihil de eſſentia Epiſcopatus detrahere. Sanè nihil detrahunt de eſſentia Epiſcopatus; ſed ut plurimum faciunt Epiſcopum nomine tantum tenus Epiſcopum, Primo quia his additamentis veſtitus Epiſcopus hoc ipſo Epiſcopatu ſuo excidit, ſecundum Canonem VI. Concilii Nicæni II ἐπίσκοπος, πρεσβύτερος, καὶ διάκονος κοσμικὰς φροντίδας μὴ ἀναλαμβανέτω. εἰ δὲ μή, καθαιρείσθω. *Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus non ſuſcipiat negotia civilia, alioquin deponatur.* Et Canonem ultimum Synodi Antiochenæ habitæ Anno 341. ubi ſancitur Epiſcoporum munus proprium eſſe docere, ac populum

lum prædicatione erudire, orationique tantum vacare, ac nullis se aliis ecclesiasticis nedum civilibus immiscere. Hic disertus est Cyprianus. Cum quidam Geminius Victor moriens tutorem testamento nominasset Faustinum Presbyterum, commotus eo nomine Cyprianus & scribens ad clerum & plebem Furnitanorum, epist. 66. pronuntiat *constitutos in Clerico ministerio non nisi Altari & sacrificiis deservire & precibus atque orationibus vacare debere, nec molestiis ac laqueis sæcularibus obligari; & ad terrenos ac sæculares actus vocari non posse qui Divinis rebus & spiritualibus sunt occupati.* Paulo post exemplo tribus Leviticæ dicit, qui *operationibus Divinis insistunt; in nulla re avocandos; nec cogitare nec agere sæcularia cogendos.* Insuper per hæc honoris auctaria abrumpitur sancta harmonia quæ est inter collegas Presbyteros & Episcopos. Et cum Canone 34. Concil. Carthagin. IV. decernatur ut Episcopus non patiatur Presbyterum coram se stare, & Hieronymus dicat epist. 2. ad Nepotian. *pessimæ consuetudinis esse in quibusdam Ecclesiis tacere Presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui:* Hodie vix licet Presbyteris coram Episcopi officiali vel vicario sedere & hiscere. Quid quod, & quod gravius est, per ea honorum corollaria divelluntur officia & munia Episcopi cum Presbyteris communia? Etenim Episcopus auctus pariter authoritate ac titulis trahit ad se cognitionem omnium causarum; presbyteris procul abesse

abesse jussis. Nam qui Presbyter homuncio & de fæce plebis auderet sociare operas cum Domino Episcopo, tanto & tam longo dignitatis intervallo à se posito; Tum mira metamorphosi, Episcopi præcipuas partes, quæ olim erat corona & gloria Ministerii; nimirum populum prædicatione erudire, in Presbyterum rejicit, & vicissim Presbyterorum officium quod antiquitus, quando Episcopi ac Presbyteri cœperunt muneribus distingui, versabatur potissimum circa regimen Ecclesiæ & reliquos actus Ecclesiasticos, in se assumit; Sed quid opus est dignitatum auctariis, siquidem qualiacunque sint, longe infra dignitatem episcopalem subsident; quæ sane, si æqua lance dignitates æstimarentur, & viveretur hodie inter æquos hominum æstimatorés, proxime meritis excipit ipsam Regiam dignitatem. Gregorius Papa epist. lib. 8. Indict. III. cap. xi. dicit Episcopum circa causas sæculares occupari, infra esse dignitatem sacerdotalem; Porrò absit invideam reditibus & honori qui exhibetur defungentibus, sacro-sancto munere, quod ipse Dei filius sustinuit, in suâ personâ cohonestavit, & suo exemplo consecravit. Non tam limis oculis observo cultum quo coluntur Episcopi, quàm misereor sortis Presbyterorum, qui, cum R. Hallo teste, statim post Apostolos rebus humanis exemptos, propinquitate & honoris gradu tangerent functionem Episcopi, sint tanto intervallo hodie dissiti ab Episcopo, ut
cœlum

cœlum à terra non sit remotius, aut Princeps à satellite: Episcoporum opes velim centuplum auctas, dummodo Presbyteros consortes divitiarum & consilii haberent, nec divitiis abuterentur ad desidiam, Gallinis non absimiles, quæ præ pinguedine ponere ova desierunt. Exemplum comitis Cantiani, qui verbi Divini est Minister, quod mihi opponit Iscanus, ut probet illibatum munus bene morari cum honoris & dignitatis civilis additamentis, parum ad rem facit; nam primo ἄλογον est quod dicit *cum fideliter exercere sanctum Ministerii munus, neque necesse esse ut alterum abdicet vel negligat.* Neque enim titulus & dignitas Comitis potest poni inter ea additamenta quæ Episcopis præter consuetum munus accedunt, neque postulant ut ullo munere defungatur civili, nisi quando sedet inter judices in amplissimo consessu Parlamenti; quas tamen partes audio comitem Cantianum obire per sequestrem, veritus (quæ pia est ejus sollicitudo) ne per eas avocetur à sancto muneris exercitiò cui sedulò invigilat. Quid quod hæc honoris insignia ut non mutarunt animum viri illustrissimi: sic nec ex quo hæreditario jure Comitis titulus illi obtigit, labefactarunt sanctum Ministerium, quod idem numero & qualitatibus quod antea exercet, nec per id tituli factus est segnior ad laborem, nec propterea sibi dispicit qui vicariam pro se sibi accommodet operam; Sed nec minùs obnoxius est jurisdictioni Epis-

coporum: quod ſanè de Epiſcopis Angliæ non dixeris, quorum quantum adventitia munera eſſentiam ipſius muneris quod præcipuum habent, corrumpunt, modò dixi, & deinceps dicturus ſum.

X. Fateor ad conſtituendam novam diſciplinam quæ jam ſtabilitæ repugnet, requiri evidentiores probationes ex Scriptura, quàm quæ afferri ſolent pro ſtabilito regimine.

XI. Fateor, ſi Chriſtus alium ordinem ab eo qui eſt ſtabilitus Eccleſiæ ſuæ reliquiſſet jampridem de eo quid compertum fuiſſe.

XII. Fateor, ſive ſtabilitum regimen, ſive aliud conforme ſit Chriſti & Apoſtolorum inſtiſtitutioni, nullam dari in toto orbe diſciplinam eccleſiaſticam ita numeris ſuis abſolutam, ut in eâ non ſit aliquid quod deſideres.

XIII. Fateor Chriſtianam politiam nihil requirere quod ſit abſurdum dictu, & impoſſibile factu.

XIV. Fateor quæ nova & inaudita obtruduntur in re præſertim magni momenti, meritò ſuſpecta eſſe.

XV. Fateor periculo & ſcandalo non vacare poſthabitis inſtitutione Chriſti & praxi veteris Eccleſiæ, novam diſciplinam amplecti.

En tibi Iſcane recitata quindecim firmàmenta quæ ideo intacta reliqueram, ratus abunde eſſe ſi excuterem præſuppoſitionem quâ nituntur: nempe Epiſcorum προστασίαν in collegas eſſe Divinæ

&

& Apoſtolicæ inſtitutionis, in eaque ſententia fuiſſe veterem Eccleſiam quæ proximè excepit Apoſtolorum tempora; Inſuper addidi quanquàm iſta præſuppoſitio tam vera eſſet, quàm eſt veritatis dubiæ, niti tamen alia præſuppoſitione inſtabiliori; videlicet, Epiſcopos Angliæ eſſe Divinæ & Apoſtolicæ inſtitutionis, & corruere quicquid primo αἰτήματι ſuperſtruitur, niſi quæ Epiſcopis indefinitè aſcribuntur, utique probentur quadrare in Epiſcopos Angliæ. Ad ea Iſcanus dicit me invertere quæſtionis ſchema, quod erat de Epiſcopis in genere, nulla mentione factâ à Rev. Hallo Epiſcopatus Anglicani. Sanè non video quorſum R. Hallus ſuſcepiſſet Apologiam pro Epiſcopis, niſi acturus cauſam Angliæ Epiſcoporum? Aut quid prodeſſet aſtruxiſſe Epiſcopos in genere eſſe juris Divini, ſi Anglicanæ Eccleſiæ regimen per Epiſcopos abhorreret ab Epiſcopatu Apoſtolorum & veteris Eccleſiæ? Nempe me revocas ad Idæam Platonicam & Epiſcopatum qui nulli adhæret ſubjecto; ſed hæc non fuit mens R. Hallo apud quem parte 1. ſect. 16. hæc lego. *Planum faciam Epiſcopatum iſtius inſulæ ſubſtantia eundem eſſe cum Epiſcopatu ab Apoſtolis inſtituto, utcunque externa dignitate & Principum liberalitate locupletatus ſit.* Addit Iſcanus, *vitium non eſſe in Epiſcopatu Anglicano, ſed in perſonis aliquot Epiſcoporum qui id vitiosè exercent & fines præſcriptos excedunt.* Ego contra, non tam Epiſcopos in culpa eſſe cenſeo quàm

ipsum Episcopatum; quem stabilitum esse legibus abhorrentibus à Christi & Apostolorum institutione necnon consuetudinibus & praxi veteris Ecclesiæ, aliquot conclusionibus palam faciam.

Ante omnia est quod dubitetur de legitima Anglorum Episcoporum vocatione, quandoquidem *nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur qui non à clero sunt electi, nec à plebibus expetiti.* Gratian. distinct. 62. can. *nulla.* Insignis locus est, 1. Corinth. 16 3. *Cum præsens fuero, quoscunque probaveritis per Epistolas, hos mittam.* Sanè, si in eligendis illis qui mandata extraordinaria ad ecclesias perferrent, suffragium ecclesiæ accessit; quantò magis in eligendis illis qui ordinario munere quales sunt episcopi, fungi debent? Tum si in re levioris momenti qualis fuit mandatum adjungendi Lucam comitem Paulo, 2. Corinth. 8. 19. non tantùm consensus, sed & mandatum plebis Corinthiacæ adhibiti fuerunt; quantò magis plebis Christianæ calculus requiritur in Episcoporum electione? Porro quando Paulus, 1 Corinth. 3. 21. dicit, *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Cephas, omnia vestra sunt;* innuit cujuscunque Ecclesiæ Pastores sunt ministri, illi quoque jus competere vocandi hos Pastores. Inter alias è Scriptura petitas probationes, cooptatio Mathiæ, Acts 2. in numerum Apostolorum facta ab undecim Apostolis, necnon discipulis & plebe quæ tum aderat Christiana, vim habet regulæ

quam

quam ſuccedentia ſæcula imitarentur; quorum praxis omnem dubitandi anſam adimit. Nemo niſi planè hoſpes in Hiſtoria Eccleſiaſtica neſcit per multa ſæcula poſt Apoſtolos fato functos Romanum Epiſcopum electum ſuffragiis plebis Chriſtianæ urbis Romæ: Exemplum habemus in Fabiano de quo Euſebius lib. 6. Hiſtor. cap. 28. De Cornelio Epiſcopo Romano Cyprianus epiſt. 52. *Factus eſt Cornelius Epiſcopus de Dei & Chriſti ejus judicio, & Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc affuit ſuffragio.* In noſtra Gallia Anno 552. congregata eſt Synodus Aureliis, in qua decretum eſt ut electio Epiſcoporum fieret conſenſu Regis, & Cleri, atque ſuffragio populi, necnon aliorum Provinciæ Epiſcoporum. Et Anno 855. convocata eſt Synodus Valentiniana in Delphinatu, authoritate Imperatoris Lotharii, in qua Epiſcopi conqueſti apud Imperatorem, quòd eccleſiis præficerentur Epiſcopi & Paſtores ignari; rogavere ideo ſupplices, ut juxta antiquum morem Paſtorum electio eſſet penes clerum & populum. Paulo poſt Anno 880. cum pravi conſiliarii conarentur juniores Reges dimovere à laudabili inſtituto Caroli Magni, Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis gravi & commonefactoria Epiſtola ad Reges, vel potiùs Regentes Ludovicum & Carolomannum utitur; inter alia hæc habet, referente Flodoardo. *Quòd de ordinando Epiſcopo, non Regis vel Palatinorum debet eſſe commendatio, ſed cleri & plebis electio, &*

 Metro-

Metropolitani in electione disiudicatio. Deinde terreni Principis consensio, Quid ultra memorem? Ambrosius electus fuit à civibus Mediolanensibus. Flavianus ab Antiochenis. Chrysostomus à Constantinopolitanis: & conciliorum decreta & sancti Patres id ad ravim occinunt. Authoritati ratio astipulatur, nam quod omnes tangit omnium consensu & suffragiis peragi debet. Quòd si Episcopus antequam ad curam Pastoralem admittitur, necesse habet testimonium ab extraneis, idque bonum obtineat, quanto magis requiritur ut Ecclesiæ cui præficiendus est approbetur.

Ab electione episcoporum pergo ad jurisdictionem quam episcopi non tantùm soli, sed & per deputatos, eosque laicos exercent: Quicquid nonnulli eorum scribant quo fucum faciant; praxis quotidiana docet, optimos quosque eorum sic uti Presbyterorum consilio, ut Rex consulit fidos & prudentes consiliarios, non qui instar assessorum, jus habeant suffragii, & sententiam ut vocant decisivam, sed merè συμβουλευτικὴν & deliberativam ferant. Hoc quàm repugnet Scripturæ, consuetudinibus veteris Ecclesiæ & Patrum Scriptis, notius est quàm ut egeat longa probatione. Ignatius Patrum antiquissimus epist. ad Trallianos, cujus loci Iscanus alicubi meminit, πρεσβυτέριον vocat σύστημα ἱερὸν συμβούλους καὶ συνεδρευτὰς τοῦ ἐπισκόπου. Cyprianus subinde inculcat se nihil absque consensu Presbyterorum egisse; & epist. 14: 31. 52.

31. 52. & paſſim alibi, dicit lapſorum cauſam conſueviſſe tractari collatione facta cum Epiſcopis & Presbyteris: Sanè ut in conciliis antiquitus perinde jus erat ſuffragii Presbyteris ac Epiſcopis, ſic extra concilia eodem jure utebantur Presbyteri in privatis coitionibus. Concil. Carthaginenſ. IV. Can. 23. *Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia clericorum ſuorum, alioquin erit irrita ſententia Epiſcopi, niſi præſentia clericorum confirmetur.* Interfuiſſe olim Conciliis Preſbyteros conſtat ex Euſebio lib. 6. cap. 35. ubi dicit Synodo Romanæ adverſus Novatum affuiſſe 60. Epiſcopos, totidemque Presbyteros, unà cum Diaconis, & Cypriano, epiſt. 66. *Graviter commoti ſumus, ego & collegæ mei, qui præſentes aderant, & compresbyteri noſtri qui nobis aſſidebant.* Ad quem locum Pamelius annotat, *colligitur ex hoc loco Presbyteros olim aſſidere ſolitos in Synodis.* In Synodo Antiochena tempore Aureliani Cæſaris ad judicandum Pauli Samoſatani cauſam non Epiſcopi tantùm, ſed & quàm plurimi Preſbyteri convenerunt Antiochiam, nec quiſquam hic profligando hæretico nobiliorem operam navavit quàm Melchio. *Euſeb. lib. 7.* cap. 29. conſulantur varia Concilia, qualia Romanum ſub Sylveſtro, Arelatenſe, Chalcedonenſe ſub Hilario, Conſtantinopolitanum quintum generale, Aurelianenſe II. & III. Aquiſgranenſe ſub Imperatore Ludovico, & alia, ex quorum actis & ſubſcriptionibus planum eſt Presbyteros

cum

cum Episcopis jus habuisse judicandi & definiendi. Fateor crescente Episcoporum dignitate, suffragia tandem ad Episcopos redacta,& solos conciliis subscripsisse, qua in re neglectum est exemplum Apostolici Concilii, Acts 15. Commate 4. ubi Lucas ait Apostolos & Presbyteros convenisse,ut super quæstione proposita viderent quid facto esset opus: Quos Presbyteros adfuisse non tantùm ad consultandum, sed etiam ad judicandum & definiendum, docet idem Lucas capite seq. vers. 4. dicens Paulum ex concilio redeuntem civitatibus per quas transibat tradidisse dogmata κεκριμένα judicata & definita ab Apostolis & Presbyteris. Rever. Mortonus Apolog. part. 2. lib. 2. cap. 8. vult verba *visum est nobis* &c. referri ad illud quod præcessit,& significare non consultationem, sed decisionem perinde à Presbyteris ac ab Apostolis profectam.

At, dicunt, Episcopi utuntur subinde opera Presbyterorum: credo. Sed rariùs consilio: Nempe eos adhibent,non ut Collegas & cooperarios,veluti Timotheus & Titus Paulo navabant operam, sed tanquam mere vicarios & delegatos. Quid quòd non tantùm ut modo dixi, contra præceptum Pauli,qui vetat Episcopum se implicare negotiis hujus sæculi,nec quicquam aliud mandat Timotheo & Tito, quàm quod attinet Ministerium Evangelii, civilia tractant, sed & in se assumunt peculiarem provinciam, quæ totum hominē requirit, & ad quam plerique

non

non magis idonei sunt quàm asini ad lyram, & ideo coguntur id muneris obire per Cancellarios homines laicos, qui pro se in tribunali sedeant, & de causis testamentariis & matrimonialibus, ac de iis quæ ad jus Canonicum seu Pontificium pertinent, judicent.

Longum esset ad examen revocare consuetudines, ceremonias & ritus Ecclesiæ Anglicanæ, qui sunt appendices regiminis quod sub umbra Episcoporum potiùs vitam trahit quàm ducit. Quos quidem ritus eo graviores censuerim, quod tanto rigore singulis pastoribus imponantur, ut qui minimo conscientiæ dictamine retentus fuerit quemquam eorum non admittendi, illico pro religione gravissimas pœnas luat, beneficio exuatur, & ad insitas (neque enim cuiquam parcitur) redigatur. Sæpe mihi perlustranti faciem Ecclesiarum tam quæ Pontifici subsunt, quàm quæ extra Angliam reformatæ se indigitant, occurrit hæc cogitatio, nunquid tale factitari soleat inter eos circa Ministrorum expulsionem & exauctorationem, & excommunicationem ob ritus seu non admissos seu nondum plane concoctos, qui quidem ritus fatentibus Cantuariensibus ἀδιάφοροι sunt; Haud sanè nondum comperi. Nunquam vidi, sed nec inaudivi quemquam Pastorum in Gallia aut Belgio, aut non admisisse ritus, aut in pœnam non admissorum exauctoratum fuisse: Nec quisquam est quod sciam, de clero Romano, qui non sit placide

obnoxius ritibus latis à Papa & Prælatis, nisi quando ad reformatam religionem transit; An accusanda mala fides legislatorum in Anglia & defectus εὐστοχίας in ferendis legibus, quibus obsequi religione prohibeantur tot homines, & eis obtemperare ad mortem usque constanter pernegent? An verò incusanda scrupulosa tergiversatio, ne dicam obstinatio, eorum qui ritè latis constitutionibus morosa religione parere impediuntur, sed hos culpæ arcere religio est, qui sciam Anglos nulli gentium cedere, neque fide erga Regem, neque obsequio erga suos Legislatores. Sanè plerique de Angliæ clero formidine pœnæ adiguntur ad amplectendos hos ritus, quibus alioquin si soluta esset optio, ne ex decem unus se submitteret. Culpa ergo rejicienda in Legislatores & primos conditores horum rituum, non tam ob iniquitatem constitutionum promulgatarum; (nàm & Ecclesia Romana pejores habet, quibus tamen clerus Romanus non repugnat) quàm quia perspicacia defuit ferendi leges, quibus parendis maxima pars hominum ad quos illæ leges pertinent, Religione non cohiberetur: Nulla est respublica in qua Legifragi non luxurient; At rarum est exemplum Rerumpublicarum in quibus ipsi legum violatores ad earum obsequelam religione teneri non se reputent nisi forsan fuerint Christiani sub Ethnicis viventes. Leges quæcunque sint, validæ sunt, non quia bonæ, sed quia latæ à legitimo legisla-

legiſlatore; nec tantùm requiritur ut ſint juſtæ, ſed & accommodatæ, quibus parere nec injuſtum, nec grave ſit. Validas eſſe conſtitutiones Eccleſiæ Anglicanæ nemo ambigit; at an perinde ſint juſtæ & adæquatæ meritò dubitatur: Teſtis mihi ſint conſtitutiones circa excommunicationem ob rem nullius momenti, quæ tamen ſimul ac intentata eſt, nulla pœnitentia præmiſſa, numerata pecunia præſenti ſolvitur. Nempe æquum fuit ut qui facilè in tartarum præcipites ruunt, pari facilitate ex orcis emergant: Durum tamen videtur imponi pœnam quæ multis paraſangis crudelitate infligendi ſuperat offenſæ momentum; & quis ob depoſitam lineam veſtem quando indui jubetur, excidat non tantùm Miniſterii officio, ſed & moveatur beneficio, quo ſibi & liberis miſeram hanc vitam trahit, utcunque in cæteris ſit clarus eruditione & ſanctitate vitæ, gregi præluceat, atque oves ſibi commiſſas ſedulò erudiat ad ſalutem. Guilielmus Pariſienſis abutentem excommunicatione comparat ei qui culicem fronti hominis inſidentem necaturus, magno pugni ictu in frontem adacto, pariter hominem cum culice interimeret; ſed an melior commutatio pœnarum corporearum in pecuniarias, & conſtitutio qua ad nomen Jeſus inclinantur vel nudantur capita; Cum Paulus Philip. 2. doceat deberi reverentiam nomini Jeſus, ideſt, ejus virtuti & dignitati, aut potiùs perſonæ; hodie ſalutantur

ſyllabæ nominis, & ad prolationem vocis Jeſu nudantur capita, at non ad prolationem nominis Chriſti, imò nec Dei. Ejuſdem farinæ eſt ſignatio crucis in Baptiſmo, quæ utcunque à magiſtris noſtris ſtatuatur non neceſſaria, attamen aut uſurpanda eſt à quocumque de clero, aut pro negligentia graves pœnæ luendæ. Hactenus ergo fuit lugenda conditio cleri in Angliâ, cujus humeris ejuſmodi ritus & conſtitutiones impoſiti fuerunt, de quibus illud Gerſonis poſſum uſurpare, lib. de vita ſpirit. part. 3. coroll. 14. *Tanta eſt ejuſmodi conſtitutionum multitudo, ut ſi tenerentur in ſuo rigore, maxima pars Eccleſiæ damnaretur.* Quid quod hæc deturbatio Miniſtrorum facta ab Epiſcopo ſolo, pugnat cum Synodorum canonibus. Expreſſus eſt canon Concil. Hiſpal. II. can. 6. *Comperimus quendam Presbyterum à Pontifice ſuo injuſtè olim dejectum & innocentem exilio condemnatum: ideo decrevimus (juxta Priſcorum Patrum decretum) Synodali ſententia, ut nullus noſtrum ſine concilii examine ejicere quemlibet Preſbyterum vel Diaconum audeat. Epiſcopus enim ſacerdotibus & Miniſtris ſolus honorem dare poteſt, auferre ſolus non poteſt. Tales enim neque ab uno damnari, nec uno judicante poterunt honoris ſui privilegiis exui. Sed præſentari Synodali judicio, & quod canon de illis præceperit, definiri.*

Pono ſepulturarum Venditiones inter Conſtitutiones (an conſuetudines?) Eccleſiaſticas nigro lapillo notandas; quæ quidem venditiones,

nes, conniventibus Epiſcopis, &, quod peius eſt, nemine quod ſciam de clero hactenus reluctante, ſecurè conquieſcunt; Sanè, crudele, fœdum, inhumanum & indignum, genuſque eſt monſtri quod ipſa natura reſpuit, ut quis fato functus non poſſit communi mortalium matri ſeu terræ mandari, niſi pacto pretio: & cum vivus quiſque hanc habeat indulgentiam ſine mercede ingrediendi templum, mortuus tamen non poſſit adire ſepulchrum gratis; mirum ni quoque pro aere qui ſpiratur proſolvitur; & cur aqua quæ de rivo potatur præſenti pecunia perinde non venditur? Quid quod planè iniquum videtur accipi pretium pro licentia aperiendi terram in fundo qui dono Eccleſiæ ceſſit. Pauper ſis, nihil intereſt, ſolvendum eſt tibi; vendit tibi Parochus licentiam fodiendi ſepulchrum in cœmiterio ſatis largo pretio; largiori ſi in templi auditorio; largiſſimo ſi in templi Sacrario; nam nemini bonus vir rigidior obſervator legis quàm Evangelii indulget; utcunque non ſit moris ulli hominum gratiam mercedis ſuæ nunquam facere, præterquam Presbyteris: Nam & antiqui Prophetæ non ſemel recuſabant munuſcula ad mercedem vaticinii oblata, & ſolenne eſt Doctoribus facere gratiam διδάκτρα, & Medicis σῶστρα· eoque abuſus res devenit ut ſi defuncti parentes non habeant in ære, neceſſe habeant ſolvere in ſupellectili; & jam pauperes minori pretio vivant quàm vitam finiant, ceſſeritque

hodierno die in proverbium, *Rigidior Parocho in exigendo pretio pro sepultura.* Hanc consuetudinem Turcæ ipsi damnant, & reclamant Canones antiqui, ut fusiùs probat Henricus Spilmannus eques auratus in dissertatione sua *de Sepultura.*

Antequam ultra progrediar, purgandus sum crimine calumniæ quam mihi impingit Iscanus, quòd dixerim parem esse corruptelæ rationem cum Anglicanis Episcopis ac cum Romanensibus, & pronuntiaverim extra Angliam ubi Papa regnat, longè minorem esse Episcoporum jurisdictionem & authoritatem prætoriam in collegas Presbyteros & laicos, quàm intra Angliam. *Quid?* inquit Iscanus, *an par doctrinæ corruptela? An in Anglia pueri Episcopi creantur novennes? an dispensant in votis & juramentis? quid atrocius dicere potuisset separatistarum infensissimus?* Bona verba: corruptelā non in doctrina, sed in ipsa jurisdictione & jurisdictionis exercitio intellexi. Per sequiores leges Episcopatus extra Angliam administratur. Sed cæteris paribus secundum stabilitas leges longè major est Angliæ Episcoporum potestas; hæc triplex νομοθετικὴ, δικαστικὴ, & κολαστικὴ quā vel Gallorum vel Italorum Episcoporum, si Papam exceperis. Anglorum gradus eminentior & potestas magis absoluta: Nam ut taceam quod extra conventus publicos in sacro Regis consistorio & alibi locorum, nobiliora scamna premunt; In comitiis publicis regni quot quot sunt Episcopi, habent jus suffragii; in Gallia non item: Eorum authoritas

ritas namque magis circumſcripta eſt,& non niſi ex centum vel circiter quos Gallia habet Epiſcopos, ſex ſedent in publicis conſeſſibus regni: Quid quod ſolenne eſt à ſupremis eorum curiis ad infima ſæcularium judicum tribunalia provocare. Nec leve eſt quòd in Gallia maxima cleri pars non eſt obnoxia Epiſcoporum juriſdictioni. Nam Papa quo accideret Epiſcopis poteſtatem, ſtuduit Religioſorum & Monachorum ordines proximo vinculo ſibi mancipatos, magno eſſe numero. Nec parum detrahit de eorum authoritate,quòd ingens corpus Eccleſiarum reformatarum Epiſcopis parere non teneatur. Hac invidioſa collatione abſtinuiſſem libenter, ſi per Iſcanum licuiſſet.

Ex loco Matthæi 19. 28. *Sedebitis ſuper duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Iſraelis,* Poſt R.Hallum duo exculpit Iſcanus. I. Apoſtolos ad quandam dignitatis ſuperioritatem evectos fuiſſe ſupra ſeptuaginta. II. Epiſcopalem juriſdictionem ſucceſſiſſe Apoſtolicæ. Ad primum quod attinet,fateor Apoſtolos ut qui peculiari prærogativa donati erant, ſuperiores fuiſſe ſeptuaginta diſcipulis; ea ſuperioritate crediderim,non tam quæ infert poteſtatem in cæteros, quàm majorem donorum virtutem: Quid quod in prima ablegatione Apoſtolorum & ſeptuaginta diſcipulorum utriſque dantur paria jura: utrique etiam poteſtate docendi & miracula edendi inſtruuntur, tantaque fuit eorum prærogativa

rogativa ut Dorotheus non dubitet dicere eos inter Apostolos fuisse numeratos; Neque etiam post Christi ascensionem Apostoli magnam jurisdictionem & potestatem prætoriam in illos sibi arrogarunt, quanquam ea uti potuissent, sed illos fratres conservos, cooperarios & coadjutores suos vocarunt. Hoc tamen tenendum est Apostolos habuisse multa extraordinaria privilegia & prærogativas sibi peculiares cum nullis communicandas, nec ad quemquam transmittendas, quales sunt immediatè a Deo vocari & eligi: Donis Spiritus sancti & miraculis clarescere; Habere efficaciã prædicationis quæ sit ἀναμάρτητος; Habere potestatem jurisdictionis quæ Christianos ac proinde Pastores omnes obstrictos teneret parendi legibus à se latis: Mirum quod Episcopi non venditent se successores Apostolorum, perinde in primis prærogativis ac in ultima quæ est ὑπεροχὴ, quam Apostoli in reliquos Pastores habebant. Tuentur se R. Hallus & Iscanus interpretatione Augustini ad locum Apoc. 20. com. 4. *Vidi Thronos & super eis homines sedentes quibus judicium datum est*, ut probent Episcopos utpote Apostolorum successores, habere jurisdictionem in Presbyteros. Verba sunt Augustini lib. 2. civitatis cap. 9. *Non hoc putandum de ultimo judicio dici, sed sedes præpositorum & ipsi præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur, judicium autem nullum melius accipiendum videtur quàm id quod dictum est: Quæ ligaveritis*

veritis in terra, erunt ligata in cœlo. Ex hoc loco putant confici voce *Præpositorum* intelligendos Episcopos, & ad ſolos Epiſcopos pertinere regimen Eccleſiæ. Ego contrà ex hoc loco conficio regimen Eccleſiæ perinde pertinere ad Presbyteros atq; ad Epiſcopos; quandoquidem appellatio præpoſiti promiſcuè cadat in Epiſcopos & Preſbyteros: Idque fert ſenſus locorum Mathæi & Johannis, qui eſt, fore ut poſt aſcenſionē Chriſti in cœlum Eccleſia habeat Apoſtolos judices omni exceptione majores, & ad eorum documenta & ſcripta referant de fidei cōtroverſiis qui præſunt regimini Eccleſiæ tum Epiſcopi tum Presbyteri, ad quos perinde pertinet illud Chriſti, *Quæ ligaveritis in terra erunt ligata in cœlo.* Sanè hæ appellationes τῶν ἐπισκοπούντων, προϊσαμένων, προεστώτων, ἡγουμένων, re & nomine Epiſcopis & Presbyteris ex æquo convenire dicuntur, non ſolùm in Scriptura, ſed & paſſim in Patrum Scriptis. 1 Pet. 5, 2. Munus incumbit paſtoribus tam ἐπισκοπεῖν quàm paſcendi gregem, & Actorum 20. v. 17. Presbyteri jubentur ποιμαίνειν Eccleſiam Dei, qui mox, v. 28. ἐπίσκοποι vocantur. Chryſoſtomus in 1. ad Timoth. Homil. 11. dicit Presbyteros munus docendi & præſidendi Eccleſiæ ſimul accepiſſe. Juſtinus Martyr Apolog. 2. pag 97, 98. referens ordinem qui à Chriſtianis obſervatur in ſacris cœtibus, dicit panem & vinum offerri τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν. Paulò poſt εὐχαριστήσαντος τοῦ προεστῶτος, *poſtquam Præſidens gratias egit.* Lectione ſacræ Scripturæ

H peracta

peracta, ὁ προεστὼς populum hortatur ut lectis sint audientes; qua appellatione plane conficitur moderatorem (*celuy qui conduit l'action*) sive Episcopum, sive Presbyterum intelligi; nisi statuatur solius fuisse Episcopi concionari & Sacramenta administrare: consimiliter appellatio Præpositi & Præsidentis passim in Tertulliano & Cypriano promiscuè Episcopo & Presbytero tribuitur. lib. 3. de corona militis, *Eucharistiæ Sacramentum nec de aliorum manu quàm præsidentium sumimus*. Cyprianus epist. 62. *Cum omnes omnino disciplinam tenere oporteat, multo magis Præpositos & Diaconos curare hoc fas est*. Hic habes Præpositos & Præsidentes qui tam Presbyteros quàm Episcopos comprehendunt. Sed ne extra Augustinum expatier. Homil. ultima ex quinquaginta cap. 11. habes in parva pericope appellationes Antistitum & Præpositorum, sub quibus promiscue Episcopi & Presbyteri intelliguntur. Verba sunt. *Veniat peccator ad Antistites per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, & à Præpositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modum*. Ridet Iscanus quod dixi, æqualitatem duodecim Apostolorum evincere Pastores omnes, dignitate, ordine, & gradu pares esse; at nihil contra regerit. Sanè hæc æqualitas duodecim Apostolorum tacitè insinuat, si quæ sit inæqualitas præeminentiæ inter Pastores, eam esse humanæ institutionis, nec a Deo profectam. Lucæ cap. 12. Apostoli pridie mortis Christi alter-

altercantur de primatu: credibile eſt aliquem de turba Apoſtolorum honeſtiori familia ortum voluiſſe extollere ſe ſupra piſcatores quales erant plerique Apoſtoli, ac Petrum obtendiſſe claves ſibi promiſſas, Johannem & Jacobum ſe jactaſſe Chriſti conſanguinitate. Judam verò ſibi prærogativã vendicaſſe quod γλωσσόκομον geſtaret, & pecuniam aſſervaret quæ in vita civili utramq; paginam facit. Profectò ſi Chriſtus cuiquam ex Apoſtolis dediſſet προστασίαν in cæteros, graviter increpuiſſet eos qui προεστῶτι honorem à ſe collatum adimere conarentur, & voluntati ejus adverſarentur: Id verò Chriſtus non fecit, ſed juſſit maximum eſſe inſtar minimum. Statuendum ergo eo loci Lucæ, ut & Matthæi 20. v. 25. innui, non tantùm Apoſtolos fuiſſe poteſtate per omnia pares; ſed & omnes verbi Divini Miniſtros ſic inter ſe æquales eſſe in omnibus, ut nemo in quenquam quicquam habeat poteſtatis. Nec vox κατακυριεύειν qua Mathæus utitur, intelligenda, quod volunt, de uſurpato imperio; quando legitima authoritate abutuntur ad Tyrannidem, ut honori ſuo velificentur, ſed nec præpoſitio κατ' addit Emphaſim; quandoquidem Lucas eadem verba domini noſtri reponens quæ Matthæus, utatur verbo ſimplici κυριεύειν, quod non tantum uſurpatur de quacunque poteſtate, ſed & ut plurimùm denotat legitimum imperium aut privilegium, quo quidpiam alio præſtantius eſt & nobilius. Eo ſenſu Hippocrati κυρία ἡμέρα eſt

princeps dies ad judicandum idonea: & libro περὶ γυναικ· κυριώταται ἡμέραι, ſunt dies præcipui & maximè opportuni ad conceptionem. Sic Galenus paſſim libro de uſu partium, & de Arte parva cap. 9. vocat κυριώτατα μέρη Principes humani corporis partes. Et primores Athenienſium appellantur à Demoſthene τὰ κύρια. Et ἡμέρα à Johanne Apoſtolo dicitur κυριακή. Nempe ea non fuit mens Chriſto, ut qui præeſt Paſtor ὑπεροχῇ Epiſcopali reliquis paſtoribus, admoneretur ne tyrannicè erga ſuos collegas ſe gereret; ſed interminatur Dominus ne quiſquam de Apoſtolis, ac proinde de cœtu Paſtorum qui non ſunt Apoſtoli, ſe efferret ſupra collegas, & majorem ſe reputaret, quanquam revera dotibus præſtantior eſſet. Venio ad ſecundum quod infert R. Hallus ex loco citato Matthæi, nempe Epiſcopalem juriſdictionem ſucceſſiſſe Apoſtolicæ. Sanè ſi ex Scriptura & Patribus patet nihil functionum competere Epiſcopo quod non etiam cadat in Presbyterum; Non video cur Presbyteri perinde ac Epiſcopi non merebuntur accenſeri ſucceſſoribus Apoſtolorum: Non negarim Patres ſæpe vocare Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores: Sed & quandoque idem de Presbyteris prædicant, ut qui ut plurimùm Presbyteros Epiſcopis includunt. Irenæus lib. 3. cap. 3. circa initium dicit Epiſcopos eſſe ſucceſſores Apoſtolorum; ſed idem dicit de Presbyteris; verba ejus ſunt lib. 4. cap. 43. *Presbyteris oportet obedire, qui ſucceſſionem*

habent ab Apostolis, & lib. 3. cap. 2. *Cum autem ad eam iterum traditionem quæ est ab Apostolis, quæ per successionem Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni, dicentes se non solum Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem.* Pius Irenæo antiquior Epistola ad Iustum Viennensem, *Presbyteri qui ab Apostolis educati, usque ad nos pervenerunt*; nullam agnoscens successionem Pastorum, nisi Presbyterorum. Et Augustinus Serm. 36. ad fratres in Eremo eosque Presbyteros *Vos* (inquit) *estis sal terræ, Apostolorum successores*; Cyprianus epist. 69. ait *omnes Præpositos vicaria ordinatione Apostolis succedere.* Sed, quod apprime observandum, veteres successionem Episcoporum non ponunt in προστασίᾳ & præeminentia in reliquos collegas, sed in functione Ministeriali & doctrinæ forma devoluta ab Apostolis ad Episcopos, sub quibus planum est Presbyteros comprehendi; quandoquidem perinde ad Presbyteros pertineat doctrinæ annuntiatio & Sacramentorum administratio. Sic Cyrillus in Iohannem lib. 3. cap. 20. loquens de quinque panibus & piscibus quibus Christus magnam hominum multitudinem cibavit, & comparans cum Scripturæ mandatis novis & veteribus, quæ fidelibus per Apostolos tradita fuerant, addit, *Apostolorum successores in Ecclesiis plenam gratiam Ministerii possidere.* Eôdem pertinet quod & apud Eusebium Hist. lib. 5. cap. 20. Irenæus

Florino objicit ταῦτα τὰ δόγματα,&c. *Hæc dogmata, qui ante nos fuerunt Presbyteri, quique cum Apostolis versati sunt, non tradiderunt tibi.* Idem passim, ut & Tertullianus de præscriptionibus,& Epiphanius Hæresi 66. & Irenæus lib.3. loco citato, derivationem orthodoxæ Doctrinæ ab Apostolis probant à continua successione Episcoporum in Ecclesiis eandem veritatem docentium.

Non video quicquam esse momenti quod affert Iscanus contra distinctionem muneris & authoritatis in ordinariam & extraordinariam: Dixeram ab Apostolis sic communicatam ordinariam cum Presbyteris, ut in conventibus æquale jus suffragii cum Apostolis habuerint: Per munus extraordinarium leges primas tulisse quibus semel conditis, Presbyteri per jus ordinarium fuerunt sic coæquales Apostolis ut communi consilio tam Apostolorum quàm Presbyterorum plebs Christiana regeretur. R.Hallus hanc approbat distinctionem, sed ait id muneris ordinarii non obstare quo minùs munere ordinario defungentibus unum præfecerint Apostoli Presbyterum, quem nos Episcopum vocamus. Sed præterquam quod in Apostolorum conventibus altum sit silentium unius Presbyteri majoris altero; Ipsæ voces ordinarii muneris uni cœtui pastorum attributæ insinuant functionum & graduum identitatem. Addebam munus extraordinarium Pauli illuxisse in eo quod author esset ut Corinthii incestum sacris arcerent; at

ultimum

ultimum actum excommunicationis ſecundum Miniſterii ordinarii authoritatem commiſſum fuiſſe Presbyterorum cœtui. Hic Iſcanus ait perperam a me addi Presbyteros, quorum Paulus nullam mentionem facit: Nempe ideo perperam Epiſcopos nominavi, quia ſi Iſcano creditur, Paulus per Eccleſiam intellexit Epiſcopum, &, qui meus eſt ſtupor, credideram ſub nomine Eccleſiæ capi Presbyterorum cœtum. Partes Pauli in illa excommunicatione officio judicis comparat: Ultimum verò actum ab Eccleſia Corinthiaca peractum dicit tanquam à lictore. Apage, non te pudet collationis? Id non cenſuit R. Mortonus qui ad hunc locum dicit authoritatem Eccleſiæ Corinthiacæ potuiſſe ſufficere, ſed ad majus pondus voluiſſe Paulum ſuam ſententiam interponere. Sed & Iſcanus aliorſum refert mea verba quàm intellexi, mihi imponens quod nec dixi, nec credo; nempe traditionem inceſti Satanæ idem fuiſſe cum excommunicatione. Hæc enim facta fuit ab Eccleſia Corinthiaca. Illa verò decreta authoritate Apoſtolica nullo lictore (ut Iſcani verbis utar) adhibito; quæ quidem traditio Satanæ fuit illa virga Apoſtolica, de qua Reverendiſſim, Parens fuſius in ſuo vate lib. I. cap. II.

An Timotheus & Titus Epiſcopi fuerunt Dioceſani & hic Cretenſi, ille Epheſinæ Eccleſiæ affixus fuerit, curam non tantum Eccleſiæ (ut volunt) demandatæ gerentes, ſed & προστασίαν & autho-

authoritatem in ſubjectos Presbyteros habentes, quomodo ſolidis demonſtrationibus ex Scriptura & Hiſtoria veteris Eccleſiæ probetur, nondum comperi. In limine tamen non negarim Timotheum & Titum, quatenus muniti mandatis Pauli, & pro tempore vicariam ſub eo poteſtatem extraordinariam & Apoſtolicæ juriſdictionis participem exercebant, ſuperiores fuiſſe cæteris Paſtoribus aliqua ὑπεροχῇ dignitatis & authoritatis. Subſcriptiones quas nobis obtrudit Iſcanus, ſunt ſuſpectæ fidei, & falſitas primæ ſubſcriptionis, 1. epiſt. ad Timotheum, facit ut revocem in dubium veritatem ſecundæ, in qua Timotheus diſertè dicitur primus Eccleſiæ Epheſinæ Epiſcopus. In prima enim ὑπογραφῇ legitur Epiſtolam ſcriptam fuiſſe Laodiceâ; cum ſanè Paulus ad Coloſſenſes cap. 2. commate primo, dicat Laodicenos nunquam à ſe viſos. Epiſtolam autem ad Coloſſenſes triennio ſcriptam fuiſſe ante primam ad Timotheum teſtatur Jacobus Capellus. Sed cum Epiſtola ad Epheſios ſcripta ſit quadriennio poſt primam ad Timotheum, in qua Timotheus (ut volunt) jam fuerat conſtitutus Epiſcopus Epheſinus; mirum quòd Paulus poſtmodùm ad Epheſios ſcribens ne ſemel quidem Timothei mentionem faciat, quod ſæpe facit in aliis Epiſtolis? Quid quod quiſquis animo percurrerit varia loca, urbes & Regiones quas cum Sancto Paulo peragravit, ut taceam varias legationes ſuſceptas ex Pauli mandato,

mandato, apud se reputabit vix quidquam Timotheo superfuisse otii diuturnioris Ephesi moræ, qualis ab Episcopo Diocesano requirebatur, sed sociasse operas in Ministerio cum Sancto Paulo, qui dicitur non unius, sed omnium Ecclesiarum curam habere. 2. Corinth. 11. v. 15. Et ab eo tempore quo Lystris adjunctus est comes Paulo, de eorum numero fuisse de quibus loquitur Ambrosius comment. in Ephes. 4. quorum erat Evangelizare sine Cathedra, & ideo Actorum 19. referri in numerum διακονούντων Paulo: sed siquidem volunt ordinationes Presbyterorum à solis Episcopis peragi; quis absente Timotheo ad longiusculum tempus, ordinationes faciebat, præsertim cum ingens numerus fidelium in magna urbe esset, & subinde mortuis novi substituendi essent Presbyteri? Verisimile est Timotheum Ephesi relictum non ut ordinariam ἐπισκοπὴν curamque Pastoralem susciperet, sed tantùm ut denuntiaret quibusdam, ne diversam doctrinam docerent, neve attenderent fabulis; Nec si Paulus utitur voce προσμεῖναι, continuò sequitur Timotheum ordinario officio consedisse Ephesi, & hac voce moram ultra paucos dies intelligi; Etenim Matthæus cap. 13. v. 32 eodem verbo utitur, ut exprimat moram tridui Sed velim scire quando tandem Timotheus fuerit creatus Episcopus Ephesinus? Iscanus dicit, quando Paulus Epheso convocavit Miletum Presbyteros, Timotheum non fuisse constitutum

 Episcopum

Episcopum Ephesinum à Paulo, & testem advocat Jacobum Capellum; At siquidem secundum Iscanum, statuendum est tunc Timotheum fuisse creatum Episcopum, quando relictus fuit Ephesi; toto cœlo errat, dum asserit ante Presbyteros vocatos Epheso Miletum quàm relictus esset Timotheus Ephesi, habetque Capellum quem ad suas partes trahit planè contrarium asserentem; ut qui in centuriis quas legisse Iscanum vix crediderim, dicit Pauli profectionem in Macedoniam Act. 20. ubi primam scripsit ad Timotheum in qua volunt jam fuisse relictum Timotheum, Ephesinum Episcopum, incidisse in annum Christi 56, & non nisi Anno post Ephesinos Presbyteros Miletum vocatos in itinere ex Troade Hierosolymam. Si capio mentē Iscani; videtur paulò post asserere Timotheum tum demum fuisse creatum Episcopum Ephesinum post primam Pauli incarcerationem sub Nerone, adeoque primam ad Timotheum fuisse scriptam post illam captivitatem, quandoquidem ibi primùm dicatur Timotheum Ephesi relictum. Sed errat, quoniam Paulus post primam incarcerationem Ephesum non repetiit ipso sic compellante Ephesios: *Et nunc ecce ego scio neminem vestrûm visurum faciem meam.* Baronius quem præter morem allegat, censet Paulum primo carcere liberatum potius in occidentem quàm orientem abiisse; concinens Chrysostomo & Hieronymo qui volunt demum in Hispaniam excurisse, ibique

que Evangelium annunciasse. Inter alia quæ Episcopatui Timothei Ephesino fidem detrahunt, dixeram constare ex Irenæo, Eusebio & Hieronymo, Johannem Apostolum peracto concilio, de quo Actorum 15. Ephesi sedem fixisse, ibique rexisse Ecclesiam usque ad tempora Trajani. Hic non habet Iscanus quod contra loquatur; sed me culpat contradictionis, quia dixi, *Mirum, an Paulus crearit Presbyteros Ephesi ubi præsto erat Diocesanus Timotheus* Et monet me meo jugulatum gladio, nec hæc duo bene congruere, nempe Iohannem fuisse Episcopum Ephesinum, & Paulum ibi creavisse Presbyteros. *Quomodo,* inquit, *Paulus creavisset Presbyteros, cum præsto esset Iohannes Diocesanus Episcopus?* Sanè laborant tuæ argutiæ ignoratione Elenchi: nec nobis qui jus ordinationis non affigimus uni Episcopo contradictio est, dicere Paulum & Iohannem creasse Episcopos Ephesi Sed demus me meipsum implicasse contradictione: an per id satisfactum est eis quæ ex Irenæo, Eusebio & Hieronymo attuli circa Episcopatum Iohannis in urbe Epheso? Sed siquidem tantopere gloriaris in authoritate Iacobi Capelli viri in Chronologicis exercitatissimi, habes in centuriis ad annum Domini 63. Iohannem Apostolum sexto ante Neronis obitum proficiscentem Ephesum, ubi manet annos 27. Augustinus epist. 86. dicit *Iohannem Ephesi docuisse, quemadmodum Iacobus Hierosolymis, & Petrus Romæ docuerunt.* Gregor.

 Nazianzenus

Nazianzenus orat. 25. dicit Iohannem docuiſſe Epheſi, quemadmodum Petrus in Iudæa, & Paulus inter Gentes. Mirum quî factum ut in Epheſo urbe, Epiſcopi munia qualia prædicant, obierit Timotheus, Apoſtolo ibidem degente? Ergo huc deveniendum, Epiſcopos in primitiva Eccleſia dictos, non qui præditi erant in Symmyſtas authoritate, aut quibus ſolis demandata erat cura integræ unius Eccleſiæ; ſed qui ſive Apoſtoli, ſive Presbyteri, inter collegas ejuſdem ordinis clari erant ætate, doctrina, & ſanctitate vitæ. Nec cenſuerim Iohannem, quanquam Miniſterii gradu emineret ſupra Timotheum, aſſumpſiſſe in eum quicquam juriſdictionis ordinariæ. Non minoribus difficultatibus urgetur Epiſcopatus Titi. Quis credat unum hominem præpoſitum fuiſſe inſulæ tam magnæ, tot urbibus nobili Paſtorem ordinarium; Timotheum verò uni tantùm urbi præfuiſſe? Id non credidit Chryſoſtomus, qui Homil. 2. in Titum aſſerit Paulum noluiſſe totam inſulam uni Epiſcopo committere, quandoquidem jubeat ut ſingulis oppidis præficerentur Epiſcopi. Concinit Aquinas in Titum cap. 1. lect. 2. *Apoſtoli loco inter Cretenſes Paſtorale officium geſſit Titus, neque enim volebat Apoſtolus Theophylacto & Oecumenio teſtibus, univerſam inſulam uni Epiſcopo demandari, ſed unamquamque urbem proprium Paſtorem habere juſſit.* Tito autem non fuiſſe demandatam perpetuam προστασίαν in Creta, liquet, quòd ex Creta eum evocaverit

Paulus

Paulus ut ad ſe veniret Nicopolim, ubi hyemare apud ſe ſtatuerat, & poſtmodum Troade expectaverit, 2. Corinth. 2. 12. quo non invento in Macedoniam profectus fuerit: Titus autem inter hæc ſua ſponte Corinthum navigaverit. 2. Corinth. 8. 16, 17. ubi expertus animum Eccleſiæ Corinthiacæ erga Paulum, in Macedoniam redierit, ubi Paulum offendit, & ſua præſentia recreavit, 2. Corinth. 7. 6. Quid quòd poſtea Romæ Paulo in vinculis affuit, indeque in Dalmatiam profectus eſt. Porro verba Pauli ſonant, Titum ideo in Creta relictum, ut reliqua perageret corrigere, innuens ei tantùm incumbere provinciam inchoatum opus ad finem perducendi; quo confecto, operam Paulo accommodaret in aliis Miniſterii operibus. Id tacitè innuit Theodoretus, qui in argumento Epiſtolæ ad Titum ſcriptæ, dicit Paulum Tito commiſiſſe munus ordinandi Epiſcopos. Hic ſtatuendum, vel Titum fuiſſe Archiepiſcopum inſulæ Cretæ cui ſuberant alii Epiſcopi, vel dicendum Epiſcopatum Titi non fuiſſe ordinarium, ſed munus tantùm fuiſſe delegati ſub Paulo ad tempus exercendum, quandiu res Eccleſiæ in Creta eſſent incompoſitæ. Subſcriptionem eſſe falſam indicat verſus duodecimus cap. 3. ex quo apparet Paulum tunc non fuiſſe Nicopoli cum ſcriberet epiſtolam ad Titum. Aſtipulatur Iacobus Capellus qui vult epiſtolam ad Titum ſcriptam fuiſſe, cum Paulus in Macedonia eſſet:

ergo non Nicopoli quæ Thraciæ civitas est.

Sed nec Romæ Petro fato functo existimarim præpositum fuisse unicum Episcopum, sed plures Episcopos simul præfuisse; Clementem, Cletum & Linum: alioquin non video posse conciliari veteres in speciem discrepantes circa successionem Petri successorum in Episcopatum Romanæ Ecclesiæ. Quibusdam affirmantibus, è quorum numero est Tertullianus, Clementem immediate Petro successisse. Aliis præponentibus Linum Clementi, ut Optatus lib. 2. in Parmenonem. Aliis ut Epiphanius Hæresi Carpocratianorum Cletum Lino successisse scribentibus. Aliis denique constituentibus Clementem quartum Episcopum post Petrum, ut asserit Hieronymus libro de scriptoribus Ecclesiasticis. In hanc rem apprime notandus est locus suggestus ab amico celeberrimo viro Claudio Salmasio ex scriptore Anglo-Saxone conversus & insertus ad calcem operis de fœnore Trapezitico, quo liquet Petrum tres Episcopos ordinasse simul Clementem quidem Cathedræ Episcopalis successorem qui regeret Ecclesiam Romanam: duos verò, Linum & Cletum, qui orationi & doctrinæ vacarent. Pariter ambigitur an Polycarpus solus fuerit Smyrnæ Episcopus. Etenim Clemens constit. Apostol. lib. 3. cap 47. affirmat Aristonem: Suidas dicit Bucolum fuisse istius sedis primum Episcopum, eique Polycarpum successisse; utcunque Tertullianus, Irenæus & Eusebius asserant Polycarpum fuisse

fuiſſe primum Smyrnæ Epiſcopum; de cujus ordinatione nihil certi compertum habemus; Irenæus enim & Euſebius dicunt eum fuiſſe ordinatum à pluribus Apoſtolis. Tertullianus verò & Hieronymus, à ſolo Iohanne Apoſtolo: argumento, ut ordinatio fuit à pluribus pari poteſtate præditis collata, utcurque ſæpe uni tantum tribuatur; ſic credibile, imo vero ſimile eſſe, pari poteſtate & juriſdictione olim præfuiſſe ſimul plures Epiſcopos uni Eccleſiæ; quanquam unus ſolummodo ſæpe nominetur, ut qui putabatur prærogativa doctrinæ & ſapientiæ cæteris antecellere. Quid quod Polycarpus epiſtola ad Philippenſes duos tantum ordines in Eccleſia agnovit, Presbyterorum & Diaconorum. *Subjecti eſtote Presbyteris & Diaconis, tanquam Deo*: unde conficitur, non altiorem gradum Presbyteratu cognoviſſe inter Philippenſes, ac proinde nec Smyrnæ: nec credibile eſt ſi Polycarpus fuiſſet Epiſcopus Smyrnæ, omiſſam fuiſſe à Polycarpo in inſcriptione epiſtolæ ſuæ appellationem Epiſcopi, ut facit Paulus Apoſtolus in omnibus ſuis Epiſtolis. Gildas Anglus de quo infrà in re graviori mentionem facio, Polycarpum vocat *Smyrnenſis Eccleſiæ egregium Paſtorem*. De Epiſcopatu Antiocheno non minor dubitatio: nec video quomodo Euſebius conciliari poterit cum Theodoreto & Chryſoſtomo, aut cui plus fidei adhibendum, niſi Euſebius, utpote ἀξιόχρεως fide dignior cenſendus ſit. Hic enim vult Euodium

ſediſſe

sedisse Antiochiæ Episcopum ante Ignatium: Illi vero Ignatium anteponunt Euodio: sed censerem potius fidem adhibendam Clementi Const. lib. 7. cap 46. qui Euodium à Petro, Ignatium à Paulo non successivè, sed simul Ecclesiæ Antiochenæ Episcopos creatos fuisse memorat: nec putarim ita futilem distinctionem Baronii ut existimat Vedelius, cum Anno 39. num. 16. duplicem illius Ecclesiæ fundationem facit, unam quæ in docendo, alteram quæ in Cathedrâ Episcopali erigendâ consistit; vultque unum Episcopum præfuisse Christianis Circumcisionis; alterum Ecclesiæ Gentium. Etenim quadantenus concordat cum loco Salmasii proximè allegato: Aut si quid in his tenebris prætentandum, omnino existimarim Timotheum, Titum, Marcum, Euodium, Ignatium nulli Ecclesiæ affixos, sed delegatos Apostolorum fuisse ad constituendas Ecclesias, potuisseque dici Apostolos secundi generis: quo sensu Paulus dicit Epaphroditum fuisse Philippensium Apostolum, cujus & similium ministerio & opera Apostoli usi sunt ad propagandas variis in locis Ecclesias quales fuerunt plures ex 70. discipulis, quos Apostolos etiam fuisse habitos dicit Dorotheus in Synopsi; præcipuè ii quorum nomina jungebat cum suo in Epistolarum inscriptione. Vocem autem Episcopi apud patres latiori significatione sumendam pro quocunque qui provinciam suscipit, sive extraordinariam, sive ordinariam; sive delegans, sive

delegatus

delegatus ſit. Hoc ſenſu Hieronymus dicit Marcum fuiſſe Epiſcopum Alexandriæ, hoc eſt, primum doctorem qui primùm inter Alexandrinos Evangelii doctrinam ſparſit: nec alio ſenſu potuit id dicere, niſi velimus Hieronymum committere cum Hieronymo, ut qui Epiſtolâ ad Euagrium dicit in Alexandria *Presbyteros ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collatum Epiſcopum nominaſſe.* Non dixeris Presbyteros è ſuo cœtu elegiſſe Marcum qui extraordinariis munere & dotibus præditus & omni Epiſcopo major erat, quemque ſi fides hiſtoriæ antiquæ, Dominus noſter, & Petrus Apoſtolus miſerant in Aegyptum & Alexandriam, ut ibi Presbyterium colligeret; unde poſtmodum diſcedens, Lybiam, Pentapolim, & totam fere Ægyptum peragravit. Quin Euſebius & Epiphanius dicunt Marcum tunc Euangelium in Alexandria annuntiaſſe, cum ibi fideles Ieſſæi vocarentur; quod nominis ſortitos fuiſſe antequam in Antiochia diſcipuli primùm Chriſtiani appellarentur, teſtis eſt idem Epiphanius; quo quidem tempore qui dixerit προστασίαν cœpiſſe, aut Alexandrinos Presbyteros, qui tunc pauci vel nulli erant, Marcum ad Epiſcopatum euexiſſe, nugas aget. Sed qui Marcus fuiſſet Epiſcopus unicus Alexandriæ, cum certum ſit æqualitatem Presbyterorum diutiùs ibi duraſſe quàm uſpiam alibi? cumque teſte Ambroſio & Hieronymo uſque ad Heracleam & Dionyſium Alexandrini

ſoliti fuerint è ſuo cœtu eligere qui cæteris præeſſet & Epiſcopus vocaretur, & abſente Epiſcopo moris fuerit in Ægypto, ut Presbyteri conſignarent.

Loci quem tantopere oſtentant pro Epiſcoporum ὑπεροχῇ, *ne recipe accuſationem contra Presbyterum.* 1 Timoth.cap.5. v.19. dixeram explicationem exhibere primum comma ejuſdem capitis quo Paulus monet Timotheum ne majorem natu aſperè objurget. Iſcanus ait *nullam rationem eſſe cur poſteriori verſu vox Presbyteri intelligenda ſit de majori natu, idque eſſe contra fere omnium interpretum ſententiam.* Attamen poſterius comma Cyprianus lib. 3. Teſtimoniorum ad Quirinum ſic vertit. *Adverſus majorem natu accuſationem ne receperis.* Concinit Ambroſius ad locum, & Epiphanius. Sed demus hic Paſtorem intelligi; non qui recipit accuſationem adverſus Philippum, ideo habet poteſtatem in Philippum, ut non qui mittit miſſo continuò major eſt. Apoſtoli mittunt Petrum & Johannem Samariam ad prædicandum Evangelium; & ſæpe uſu venit ut æqualis ab æquali reprehendatur. Nempe delegans & accuſans ſuperior tantùm eſt in ipſo actu quo recipit accuſationem & delegat, cæterùm æqualis per omnia poteſt eſſe. Sed cur Paulus per *Presbyterum* non intellexerit unà Epiſcopum; ſiquidem fatentibus Hierarchiæ patronis, Paulus ſæpe ſub Presbyteri appellatione Epiſcopum includit? Aut nunquid

licuit

licuit Timotheo Episcopo Episcopum increpare, imo licuit se majorem objurgare nomine totius Ecclesiæ. Whitakerus controvers. 4. quæst. 1. sect. 16. disertus est. *Quod Timotheus jubetur non temere adversus Presbyterum accusationem admittere, hoc non probat Timotheum in Presbyteros potestatem aut dominatum habuisse. Nam ex Apostoli mente* κατηγορίαν παραδέχεσθαι *est crimen ad Ecclesiam deferre; reum in judicium adducere, palam reprehendere; quod non modò superiores possunt, sed æquales etiam, atque inferiores.* Sed neque etiam ex hoc loco inferri potest excludi Presbyteros ab authoritate recipiendi accusationem. Celeberrimus Rivetus in Catholico orthodoxo ad controversiam De jure Divino Episcoporum rem acu tangit. *Hic locus nihil attribuit Timotheo quo Presbyteri corpus excludatur. Non si quicquam uni mandatur sequitur ad nullum alium pertinere; ut si quis diceret, quod Deus Josuam præcepit ut legem suam observet, nec dextrorsum nec sinistrosum ab ea deflectens, protinus innuere hoc mandatum ad solum Iosuam pertinere.* Eadem vis est mandato quod Timotheo fit, *nemini manus citò imposueris*, ut probetur solius Episcopi esse imponere manus: Porro centum ejusmodi propositiones categoricæ, nunquam inferent exclusivam; & cum sint negativæ, nunquam concludent affirmativè. Adde quod per ea quæ Timotheo præcipiuntur circa redargutionem & ordinationem atque partes Episcopi, nunquam probabitur hæc mandata ad Timo-

 theum

theum pertinere, potius quà Episcopus Ephesi quàm quà alibi locorum demandato Ministerio defuncturus. Sed demus quod maximè ex hoc loco volunt, Timotheo datam potestatem propria authoritate damnandi Presbyterum: Sanè non potuit Presbyterum damnare quà Episcopus Ephesinus, nisi κατηγορίαν ad aliquem cœtum Presbyterorum, vel Synodum, seu senatum Ecclesiasticum detulisset, atque ex consuetudine aliorum Episcoporum Presbyteri causam subjecisset judicio plurium. Ergo id potuit quà Apostolus secundi generis & Pauli delegatus, nec ulli Ecclesiæ addictus. Nec dubium est quin Timotheus, quà Pauli delegatus erat, & adhibitus ad extraordinaria munia, potuerit solus in se assumere grandiora quàm fuit objurgatio senioris, utcunque quà exercens actus Ecclesiasticos ordinarios non potuerit quin sociaret operam cum Presbyteris illius loci in quo erat. Attamen objurgatio illa privati hominis non potuit facere partem mandatorum quæ delegato dantur, quæque spectant non tam privati hominis commodum quàm generale omnium Ecclesiarum emolumentum quarum Paulus & Timotheus sub eo curam gerebant.

Quod attinet Angelos septem, fateor me nondum adduci potuisse ut per unum Ecclesiæ Angelum quem spiritus Dei singulari numero compellat, intelligerem personam singularem; quanquam Patres aliquot & nostro sæculo viri

gravissimi

graviſſimi contrarium ſentiant. Nec ſi per unum Angelum Epiſcopus unus intelligeretur, puto evinci poſſe hunc Angelum προστασίαν habuiſſe in collegas, aut ſupra Presbyteros ordinationis & juriſdictionis prærogtiva ἀδιαδόχῳ enituiſſe, ſed tantùm aliquem ex cœtu compellatum, qui ætate, doctrinâ, vitæ ſanctimoniâ atque exemplo, vel collegis, vel gregi præibat: Sed utrumque ut credam à me non impetro his argumentis ductus. I. ſi hic unus ad quem Spiritus Sanctus ſcribit, è Presbyterorum coetu habuiſſet hanc προστασίαν qualem ponunt; mirum in toto contextu ſeptem commonefactariarum Epiſtolarum non fuiſſe admonitos Presbyteros obſequii & officii erga Epiſcopum. II. Perlegantur Pauli ambæ Epiſtolæ ad Timotheum, necnon ejuſdem Epiſtolæ duæ; una ad Titum; altera ad Philemonem, quanquam aliorum magis quam Timothei aut Titi cauſa ſcriptæ fuerunt, & ſub eorum ad quos ſcribit nomine, alios eâdem operâ monere voluit; multaque inſuper illis inſeruit quæ ad alios tantum pertinent; verba tamen quæ fiunt ad Timothei perſonam nemo dixerit non pertinere primariò ad Timotheum, ſed ad alios: Veluti quando admonetur Timotheus ut ſeniorem non aſperè objurget; rejiciat aniles fabulas, & modico vini utatur: Si quæ præcepta alios tangunt; Paulus ſic orationem ſuam accommodat, ut quiſque fidelis facilè Paulum ſe alloqui dignoſcat. Hic nihil tale reperitur ſecundo, & tertio capi-

tibus Apocalypſeos (ſiquidem ad ſingulares Angelos ſcribuntur): nec de quibus ſinguli Angeli compellantur poſſunt in eos primariò & propriè quadrare, niſi velimus Epiſcopum Epheſinum, ſive fuerit Oneſimus, ſive Johannes ipſe, priſtinam charitatem deſeruiſſe, & ob unius hominis peccatum ni reſipuiſſet, lampadem Eccleſiæ Epheſinæ debuiſſe aliò transferri: Dicendum etiam erit Laodiceæ Epiſcopum tepidum fuiſſe; aut aſſerendum laudes immenſas, quibus ſpiritus ſanctus zelum, fidem, charitatem, & patientiam fidelium inſignit, in unum ſolummodo hominem congeſtas fuiſſe. III. ex Commatis 7. 11. 17. & 29. Capitis ſecundi, *Qui habet aurem, audiat quæ ſpiritus dicit Eccleſiis*, liquet ſpiritum ſanctum per Johannis Miniſterium non alloqui ſingulares Angelos, ſed Eccleſias, ſive per *Eccleſiam* ſoli Paſtores intelligantur, velut Matth. 18. v. 17. vel totus cœtus particularis; ibi enim expreſſe habetur *Spiritum ea documenta Eccleſiis dicere*. Auguſtinus hic meus eſt, Homil. 2. in Apocalyps. *Angeli Eccleſiarum non debent intelligi, niſi Epiſcopi Præpoſiti Eccleſiarum.* Sed ne quis exiſtimaret vocem *præpoſitorum* ad ſolos Epiſcopos reſtringi, ſubjicit; *Angelorum nomine Eccleſias Catholicas voluit intelligi.* Paulo poſt *Angelos, Eccleſiam dicit in quibus duas partes, id eſt, bonorum & malorum oſtendit, & propterea non ſolùm laudat, ſed & increpat; ut laus ad bonos, increpatio ad malos dirigatur.* De Angelo Thyatiræ hæc dicit; *Quod dicit &*

Angelo

Angelo Thyatiræ Eccleſiæ, *dicit Præpoſitis Eccleſiarum, qui luxurioſis & fornicantibus & aliud quodlibet mali agentibus, ſeveritatem diſciplinæ Eccleſiaſticæ non imponunt.* Iſcanus ſic allegat comma 20. capitis ſecundi, ut probet ſpiritum ſanctum alloqui Angelum ſingulari numero. *Permittis uxorem tuam Jezebelem ſervos meos ſeducere*, unde exculpit hanc non potuiſſe datam in uxorem niſi uni Angelo, & ne videatur recedere à Græca veritate, dicit in Græco legi, γυναικά σου Ιέζαβελ· ſed utcunque exemplar Novi Teſtamenti manu propria Teclæ ſcriptum, & à Cyrillo ad Sereniſſimum Regem miſſum ita legat, non tamen debet eſſe tanti, ut plus ei fidendum ſit, quàm quotquot quæ antea fuerunt exemplaria; nec ſi, quanquam lectio tua genuina eſſet γυναικά σου, conſuluiſſes oraculum, hoc eſt, Rever. Hallum, non accepiſſes, hanc fœminam non ideo nominari, quod ſit cujuſquam uxor, ſed quod tanquam altera conjux Achabi, vel altera Helena Simonis uxor, edocta forſan in ſchola Nicolaitarum, ſcortationibus ſuis & idolothytorum eſu, peruerteret Thyatirenſes.

Reverendus Hallus quæſtionem moverat non aſpernandam: *ſi Hierarchia in Eccleſia non eſt à Chriſto, edant nobis quando inceperit.* Reſponderam, ſi in ſenſui obviis rebus rarò obſervatur illud temporis momentum, quo prima ruina navi, tabes corpori, corruptela Reipublicæ oboritur, multo difficilius eſſe in iis quæ ſenſibus externis

minùs

minus obvia sunt; qualis est mutatio quæ accidit in religione, articulos alterationum præcise notari; nec, ut ait Tertullianus lib. de Præscriptionibus cap. 34. interesse *quicquam, quando quid sit quod ab Apostolis non fuit*. Hic pro more Iscanus, qui moram nectens, solet potius vellicare verba quàm ponderare rationum momenta, dicit, *utinam integram sententiam allegasses Tertulliani quem vix te salutasse putem*: hoc autem ait addi debuisse, *quod ab Apostolis non damnatur, imò defenditur, hoc erit judicium proprietatis*. Sanè dixerim aut te Tertullianum non legisse, aut mirùm te non animadvertisse tuam Pericopen non proximè excipere locum quem allegaveram, utpote quæ legitur cap. 35. En tibi integrum locum quem citaveram ex capite 34. *Nihil interest quæ quando, dum de veritate non sunt: utique quæ ab Apostolis nominatæ non fuerunt, sub Apostolis fuisse non possunt*. Dixeram insuper ambitionem Episcoporum sese efferentium, supra Presbyteros non tantùm, sed & supra totam Domini hæreditatem potuisse constituere partem istius Mysterii iniquitatis, de quo Paulus 2. Thessalon. Hic Iscanus confugit ad suam redamatam Helenam, sive antiquitatem; jubetque circumspiciam & lustrem totum terrarum orbem, edamque ullam Ecclesiam ante nostrum sæculum aliter quàm ab episcopis gubernatam: Eadem posset reponere Pontificius, qui tamen conversus ad nostram fidem ultro agnoscit errores sæpe antiquitate ipsam veritatem

tatem

tatem provocare eosque pedetentim in Ecclesiam irrepsisse, donec totum corpus penitus corrumpatur: primam radicem labis in Ecclesia fuisse affectatam dominationem ab Episcopis; quibus omnia ex voto succedentibus, cum opes & potestas indies crescerent, facile fuisse ad grandiora aspirare, & eò corruptelæ munus Episcopale perducere, ut jam ultra mille annos quod obtinuit, nomen sine re retinuerit. Satan maturè orsus est telam mysterii: iamque inchoata erant ejus primordia tempore Pauli; qualia fuerunt, distinctio ciborum, Traditiones humanæ, justificatio coram Deo per opera legis, & affectatio primatus inter Pastores: Johannes epistola 3. Diotrephem corripit, quòd esset φιλοπρωτεύων, id est, affectator Primatus. Jam illo ævo quidam dicebant, *Ego sum Pauli*. Quidam, *Ego sum Cephæ*. Quæ quidem fuerunt æmulationis in Ecclesia semina, & istius πρωτείας anteludia; nec multo post, Clemens epistola ad Corinthios pag. 20. mentionem facit Pastorum ἐπαιρομένων ἐπὶ τὸ ποίμνιον χριστοῦ, *Se se efferentium supra gregem Christi*.

Porro in epistola Clementis ad Corinthios non video quicquam præsidii reponi posse pro Episcoporum προστασίᾳ in Presbyteros. Quinimo multum in eâ est quod pugnet pro Episcoporum & Presbyterorum ἰσοτιμίᾳ, & videtur singulari Dei beneficio & providentiâ asservata in hunc novissimorum sæculorum articulum, ut meditantibus seriò puriorem reformationem lampa-

dem clarissimum præferret, & finem imponeret disceptationi quæ jam pæne sæculum integrum hujus insulæ populos inter se collisit. Quisquis enim attentè legerit totam hanc Clementis epistolam, facilè veritatem agnoscet quarti fundamenti à Rever. Hallo positi, quod est; praxim Ecclesiæ proximè ab Apostolis optimum esse exemplar quod sequentia sæcula sequerentur ad constituendam disciplinam. Habes enim in Clemente epistolam fidei non malæ & incertæ, qualis Ignatianarum epistolarum, sed sanctæ & indubitatæ; in qua post mortem Pauli, Clemente scribente & vivente in magna civitate frequenti Christianis, cujus maximam Paulus cum viveret gerebat curam, nolentibus ingeritur Ecclesiam Corinthiacam solitam Apostolico instituto gubernari per Presbyteros. Porro Clemens de Presbyteris verba faciens, eos uno aut altero in loco vocat Episcopos, nec alios Ministros ab Apostolis institutos agnoscit præter Episcopos & Diaconos, pag. 54. κατὰ χώρας καὶ πόλεις κηρύσσοντας καθίσανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν. *Per Provincias & civitates verbum Dei prædicantes constituisse, primitias ipsorum probantes spiritu, in Episcopos & Diaconos eorum qui erant credituri:* quem ordinem in Ecclesia per Episcopos & Diaconos dicit antiquæ esse institutionis, & in hanc rem citat locum Esaiæ 60. καταστήσω τοὺς ἐπισκόπους αὐτῶν ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ τοὺς διακόνους αὐτῶν ἐν πίστει. *Constituam Episcopos*

copos eorum in justitia, & Diaconos eorum in fide. Ne quis autem existimet de iis Episcopis intelligere, quales hodie vocantur, hosce Episcopos vocat paulo post, Presbyteros, p.58. & agnoscit tempore Apostolorum plures fuisse Presbyteros constitutos, tam Corinthi, quàm in aliis Ecclesiis: Nec possum non mirari quid in mentem venerit Rever. Hallo Clementem vocare in subsidium ὑπεροχῇ Episcopali, cum ne γρῦ quidem pro ea possit exculpi: Quin contra Clemens promiscuè Episcopos & Presbyteros sumpserit, & non uno ex loco possit confici Ecclesiam Corinthiacam gubernatam fuisse à Presbyteris pari honore & gradu præditis. Pag 30. τοὺς προηγουμένους ἡμῶν αἰδεσθῶμεν, *Veneremur qui nobis præsunt*, siquidem hic de verbi Divini Ministris agit, ut docet textura loci; per Præsides non alii possunt intelligi quàm plures Presbyteri pari honore & authoritate instructi, quique in Epistola ad Hebræos ἡγούμενοι vocantur. Pag. 69. author est eis à quibus seditionis initium coepit, ut se subjiciant Presbyteris, & extrema quæque potius patiantur, μόνον τὸ ποίμνιον τοῦ Χριστοῦ εἰρηνευέτω μετὰ τῶν καθεσταμένων πρεσβυτέρων *dummodò Christi ovile cum constitutis supra se Presbyteris in pace degat.* Habes hic ovile Christi supra quod Presbyteros constituit. Neque illa contentio quam R. Hallus profert, ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς potest intelligi de προστασίᾳ Episcopi in alios, sed de regimine Ecclesiæ in genere commisso Presbyteris, quos paulo post dicit accepisse τὰ δῶρα ἐπισκοπῆς,

ἐπισκοπῆς. In ea enim Ecclesia, cùm satan schismata, æmulationes & partium studia foveret, & eo nomine pii quidem Pastores Corintho cessissent, Clemens ne verbum unum quidem faciens de diversis gradibus Ministrorum in Ecclesia, monet eos, non amovendos esse eos qui cum fructu & honore Ecclesiæ servierant, cujusmodi dicit fuisse constitutos ab Apostolis qui postquam obdormivissent, in eorum locum succederent. Sanè si ubicunque reperiuntur voces ἐπισκοπῆς & ἐπισκόπων, continuò essent trahendæ ad ἐξοχὴν Episcopi in Ecclesia; pariter affirmarem Episcopis accensendos medicos, qui dicuntur ἐπισκοπεῖν τὸν νοσοῦντα. Et quos Arcadius *feudo, muneribus & honoribus* dicit præesse, pani, & rebus venalibus ad cibum pertinentibus; necnon stabularios, quibus ἐπισκοπὴ τῶν ἵππων demandata est: Quæ quidem ἐπισκοπὴ tantundem favet Episcopis singularibus & localibus Ecclesiarum, quantum τὸ ὄνομα τῆς ἐπισκοπῆς apud Clementem.

Ignatius plus favet Episcopis; cujus tamen Epistolas post Magdeburgenses Parkerus de politeia Ecclesiast. lib. 2. c. 13. pertendit rationibus tredecim innixus, supposititias omnes esse; quibus parum abest quin fidem adhibeam, nisi me authoritas Rever. Usserii moveret, qui censet non planè rejiciendas; interpolatas tamen illas Epistolas quas pro veris habemus, cujus rei fidem faciet editio harum Epistolarum quam parat: sed age, ventilemus loca quæ affert Iscanus

ex

ex Ignatii Epiſtolis. Primus eſt ex Epiſtola ad Magneſios, ubi Presbyteri dicuntur ἐντρέπειν ὑπονέμειν Epiſcopo. Quidni? & æquali debetur ἐντροπὴ, præſertim ſi vel ætate major ſit, vel ornamentis animi & pietatis ſit exemplo non tantùm collegis ſuis, ſed & gregi ſuo. Pius in epiſt. ad Juſtum Viennenſem, *Presbyteri & Diaconi, non ut majorẽ, ſed ut miniſtrum Chriſti te obſervent.* Loco epiſt. ad Trallianos τί γάρ ἐστιν ἐπίσκοπος, ἀλλ' ἢ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα πάντων κρατῶν; loquitur de poteſtate in gregem, non autem de peculiari ſupra Presbyterium authoritate & principatu. Irenæo lib. 4. cap. 44. Presbyteri dicuntur Principes, & Chryſoſtomus ſacerdotes vocat vicarios Chriſti quâ appellatione ab ipſo Ignatio epiſtolâ eâdem ad Trallianos inſigniuntur Diaconi: Tum nunquid poteſt quis eſſe doctrinâ & dotum excellentiâ princeps, quales erant quos è ſuo cœtu Presbyteri olim eligebant, qui tamen in neminem imperium habebant. Porro Vedelius exiſtimat hanc clauſulam eſſe ſuppoſititiam, nec redolentem ſeculum, atque deſumptam fuiſſe ex lib. 2. conſtitutionum Clementis cap. 26. Locum οἱ πρεσβύτεροι ὑποτασσέσθωσαν τῷ ἐπισκόπῳ, οἱ διάκονοι τοῖς πρεσβυτέροις, &c. nullibi lego in Epiſtola ad Trallianos; ſed affinem in Epiſtola ad Smyrnenſes, οἱ λαϊκοὶ τοῖς διακόνοις ὑποτασσέσθωσαν, οἱ διάκονοι τοῖς πρεσβυτέροις, οἱ πρεσβύτεροι τῷ ἐπισκόπῳ, ὁ ἐπίσκοπος τῷ χριστῷ· quæ quidem videntur Vedelio in textum irrepſiſſe fraude: affirmat enim Laici vocem non eſſe ætatis Ignatianæ,

tianæ, ſed ſæculi ſequentis, utcunque tamen ea utatur Clemens Epiſtola ad Corinthios pag. 53. conſimilis hic eſt locus οὕτω καὶ ὑμεῖς ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου, &c. *Ita & vos ſine Epiſcopo, ſive Presbyter, ſive Diaconus, ſive Laicus, nihil facite:* quorum authoritate moverer, niſi pariter apud Ignatium legerem oblationes & ſacrificia non peragenda abſque Epiſcopo, eumque eſſe χειστοκτόνον, ſi quis Dominicam diem aut Sabbatum jejunarit. Parva fides quæ hiſce adhibenda eſt, facit ut de omnibus Epiſtolis meritò dubitetur; neque ſpirant ſimplicitatem Apoſtolicam, ita turgent ampullis; ad ravim oggerunt Epiſcopo eſſe parendum, tanquam Chriſto; cum tamen Paulus ſemper plurium Paſtorum mentionem faciat quibus ſit obediendum: ſit enim cæcus oportet qui non videt quæ adeo diſtinctè de Epiſcopis & Presbyteris habent Ignatianæ Epiſtolæ, longè abhorrere non tantùm à genuina ſimplicitate Apoſtolorum ſed & à ratione ſcribendi uſurpatâ à Clemente & Polycarpo Ignatio συγχρόνοις. Scultetus quem R. Hallus in ſubſidium vocavit, pro jure Divino Epiſcoporum & ἀποδοκιμασίᾳ Laico-Presbyterorum, in medulla Patrum non uno in locò dicit, quæ Ignatius adeo diſtinctè habet de gradibus & ordinationibus Epiſcoporum & Presbyterorum, ignota fuiſſe Apoſtolicis temporibus.

pag. 42. 43. Diſceptationem de diverſo ordine & gradu inter Epiſcopum & Presbyterum tanquam ſupervacaneam

pervacaneam respuit Iscanus, ex qua, inquit, etsi exculperem quod volo, non obstare tamen quin distinctio Episcopalis προστασίας ab Apostolis profecta sit: At sanè secus est. Si enim Pastores ab Apostolis instituti fuerunt ordinis & gradus ejusdem, nec discrepantes muniis, nec potestate ad speciales actus exercendos, habeo quod volo. Si tempore Apostolorum singulis Pastoribus idem munus, æquale jus & par authoritas datæ sunt, non video quî & quorsum duo genera Apostolorum instituissent? Presbyteratus & Diaconatus, quia Apostolicà institutione diversa sunt sortiti munia, ideo ut gradus ita ordinis esse diversi censendi: sed quia non placet tibi hac via veritatem indagare, conabor tibi aliam aperire, quamque hisce conclusionibus quæ subjungam palam & planam faciam.

Prima est, *Pastorum nomina & officia tempore Apostolorum fuisse varia & distincta, eaque omnibus ex æquo verbi Divini Ministris propria & communia suisse, divisaque olim fuisse nomina, sed non munera.* Nomina & officia Pastorum diversa esse apud omnes in confesso est, sed quæ sint Ministerialis muneris nobiliores functiones dubitatur: Apostolus tamen omnem dubitandi ansam tollit Epistola 1. ad Timotheum. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore sunt digni; illi maximè qui laborant in verbo & doctrina*: ubi planum est, ut omittam hunc locum pugnare pro duplici Seniorum genere, munus laborantium

in

in λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ tanto præstantius esse provinciâ προεστώτων, seu Præpositorum & Præsidentium quibus tantùm curæ est gregi invigilare, & politiæ externæ regimen demandatum est; quanto jurisdictio in foro interno, antestat jurisdictionem in foro externo: Quid quòd Apostolus 1. ad Corinth. v.28. κυβερνήσεις, seu illi qui Ecclesiæ res procurabant & dispensabant, quæ nihil ad λόγον & διδασκαλίαν attinebant, Pastoribus & Doctoribus postponit. Adde appellationes tam grandes, quæ tribuuntur laborantibus in doctrina & verbo Pastoribus, ut non pares, nedum majores possint dici de iis qui cæteros actus Ecclesiasticos procurant, & disciplinæ Ecclesiasticæ administrandæ invigilant; quales sunt συνεργοὶ Θεοῦ. 1. Corinth.3. v.9. *Genitores filiorum Dei*, *Oeconomi Mysteriorum Dei*, *& Lux mundi*. Ut taceam illud vulgare, πρεσβύτερον nomen esse potestatis, honoris, & ætatis; ἐπίσκοπον vero curationis & administrationis, qualis est Oeconomi, ut Episcopatus sit non ἐξουσία αὐθέντου, sed potiùs ὑπεύθυνος λειτουργία.

Isidor. Pelus. lib.4. Ep.219.

Denique tanti est laborare ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, ut Spiritus Sanctus de missione & vocatione Pastorum agens, videatur innuere ad id tantùm missos, ut verbi Dei essent præcones, denominatione factâ à nobiliori; reliquis actibus Ecclesiasticis tanquam levioris momenti sub hoc uno comprehensis. Sic Paulus dicit se missum fuisse à Christo, ut annuntiaret Evangelium, & sibi concreditam fuisse prædicationem. De missione ad

ad ὑπεροχὴν Episcopalem ὑπὲ γρῦ. Nomina & appellationes Pastorum tam dignitatis & authoritatis quàm officii promiscuè tribui omnibus verbi Divini Ministris à Scriptura & Patribus, qui primis ab Apostolorum temporibus vixerunt, notum est omnibus qui legere sciunt. Theodoretus comment. in 1. ad Timoth. cap. 3. scribit *Veros Episcopos tunc temporis non Episcopos, sed Presbyteros dici solitos*. Et commentarius qui nomine Ambrosii prodit in Ephes. cap. 4. dicit *Primos Presbyteros appellatos fuisse Episcopos*: & Hieronymus epist. ad Euagrium, & alibi in commentariis plus æquo sedulus super ea re à multis creditur, quasi cum Presbyter esset, Episcoporum ὑπεροχὴν limis oculis aspiceret. Idem posset probari ex Chrysostomo, Augustino, Theophylacto & Occumenio: Iidem Patres in appellandis Pastoribus non sunt nominum aucupes, & appellationes Episcopi, Presbyteri, Præpositi, Antistitis, & Sacerdotis nullo delectu habito, omnibus promiscuè Pastoribus attribuunt. Tertullianus de Coronâ, Præsidentium & Antistitum mentionem facit, pag. 121. sub quibus & Presbyteri intelliguntur: & lib. de fuga in persecutione, dicit Præpositos Ecclesiæ persecutione flagrante fugere non debere. Eusebius Ecclesiast. Historiæ lib. 3. cap. 23. refert locum Clementis Alexandrini de juvene quem Sanctus Johannes Apostolus commendabat cuidam Episcopo, ὁ δὲ πρεσβύτερος ἀναλαβὼν οἴκαδε τὸν παραδοθέντα νεανίσκον

ἕτερος, &c. vocans Presbyterum quem modo Episcopum dixerat. Cyprianus epist. 62. uni plebi plures Præpositos præficit. Augustinus Sermone 234. de Tempore, in una Ecclesiâ plures Præpositos agnoscit, & Homil. ultima ex quinquaginta câp. 11. *Veniat peccator ad Antistites per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, & a Præpositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modum.* nomine Antistitum & Præpositorum tam Presbyteros quàm Episcopos intelligens. Et Ignatius ad Trallenses dicit se refocillatum ab ἡγουμένοις Ecclesiarum. Obiter non possum non mirari magnam ἀβλεψίαν cujusdam anonymi, qui nuperè edidit brevem discursum, quo probat ex Irenæi loco Episcopatum esse Apostolicæ & Divinæ institutionis. Is circa finem dicit se jam attigisse annum sexagesimum secundum & mediam ætatis partem impendisse in lectione conciliorum, Patrum, & Historiæ Ecclesiasticæ, apud quos legerit quidem Episcopum nomine Presbyteri vocatum; at nusquam legisse appellationem Episcopi datam fuisse Presbytero. Prudenter fecit hic vir, quòd exemerit è choro librorum quos exantlatus est, Scripturam sacram, in qua pluscculis in locis Presbyter nomine Episcopi compellatur. Sed si Tertullianum suum rursus evolverit, hunc locum legerit libro de Præscriptionibus cap. 3. pag. 231. *Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si virgo, si Doctor, si etiam martyr lapsus à regula fuerit?* Ubi cum nomen Diaconi

proximè

proximè excipiat Episcopi vocem, planum est per Episcopum intelligi Presbyterum: & Epistola sub nomine Ignatii ad Heronem μηδὲν ἄνευ τῶν ἐπισκόπων πράττε· ubi per Episcopos intelligit Presbyteros.

Sed omne feret punctum qui ex Scriptura & in Ecclesiâ ævi quod proximè Apostolos excepit, didicerit officia varia Ministerialis διακονίας promiscuè in omnes verbi Divini Ministros competere, ut quivis Pastor non solùm sit Presbyter, sed & Episcopus, atque ad Presbyterum pertinere munus docendi, regendi, ordinandi, ligandi & solvendi, perinde ac ad Episcopum, nec à Christo nec ab Apostolis institutum nisi unum genus Pastorum, quorum officia pariter ac nomina sunt varia; munera verò indivisa. Epistola 1. Petri cap. 5. Presbyteris munus incumbit tam ἐπισκοπεῖν quàm ποιμαίνειν gregem commissum: ubi patet Petrum, vel solos Presbyteros alloqui, posthabito eorum Episcopo, vel nondum ullum Episcopum istis Presbyteris fuisse præpositum. Actorum 20. Presbyteri monentur officii argumento ducto, quòd spiritus Sanctus eos præfecit Episcopos toti gregi. Si tunc nomina fuissent communia; officia verò demandata fuissent diversis hominibus; non capio quæ fuisset textus cohærentia, & quæ demum illa fuisset hortatio sumpta à sola nominis communicatione, Paulo sic admonente Ephesinos Presbyteros. *Attendite Presbyteri vobis ipsis & gregi, eòque magis ad id*

impulsi, quod etsi sitis Episcopi nomine tantum tenus, notatio tamen nominis vestri Episcoporum, quod commune habetis cum iis qui revera sunt munere & nomine Episcopi, admonet vos officii. Vox ποιμαίνειν quæ est pascere & docere, apta similitudine transfertur ad quodvis regimen, sic Apocalyp. 2. v. 27. ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ *pascet eos cum virga ferrea.* Sed si uspiam Paulus de diversis gradibus Ministrorum laborantium in verbo & doctrinâ egisset, id sanè fecisset capite tertio. 1. Epistolæ ad Timotheum, ubi data opera de Episcoporum & Diaconorum officio tractationem instituit; quo capite meridiana luce clarius est Paulum unam Presbyteri & Episcopi instituere ordinationem, easdemque qualitates in utroque requirere; quandoquidem nec nominibus distinguit eos, nec officiis discriminat. Quocirca postquam Timotheo de ordinatione Episcoporum Canones præscripsit, ad Diaconos transit, nulla Presbyterorum facta mentione, tacitè innuens se non duplicem, sed unicum ordinem constituere Episcopis & Presbyteris communem. Sanè quorum nomina ordinationes & qualitates sunt eædem, illi etiam iidem esse censendi. Chrysostomus Homil. 11. in 1. ad Tim. & Græci scholiastæ, reddentes rationem quare Presbyterorum ordine omisso de Episcopis tantùm mentionem facit Paulus: Quia, iniquiunt, ἃ περὶ ἐπισκόπων εἶπε, πάντα καὶ περὶ πρεσβυτέρων ἁρμόζει. *Quæ de Episcopis dixit, eadem & Presbyteris conveniunt.*

Sed

Sed non illiberale erit paulò accuratius, breviter tamen, disquirere quæ fuerit sententia Patrum & authorum celebrioris nominis qui primis post Apostolorum tempora octingentis annis floruerunt, circa Episcoporum & Presbyterorum ἰσοτιμίαν, iis locis solummodo à me in medium adductis, quæ à paucis aut nullis video proferri ad patrocinium causæ quam defendimus.

De Clemente & Polycarpo in superioribus dictum est. Hujus verba sunt, Epistolâ ad Philippenses, δέον ἀπέχεσθαι ἀπὸ πάντων τούτων ὑποτασσομένους τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις, ὡς Θεῷ καὶ Χριστῷ, *Abstinere vos ab omnibus his oportet subjectos Presbyteris & Diaconis, tanquam Deo & Christo.* Quid quod Polycarpus non inscribit se Episcopum, nec adjungit sibi quemquam Episcopum singularem collegam, sed Presbyteros secum sociat: Πολύκαρπος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πρεσβύτεροι. Unde plura exculpo, 1. Polycarpum non se gessisse erga Smyrnenses Presbyteros instar ἡγεμόνος & προεστῶτος, sed collegæ & Cōpresbyteri, atque ejusmodi κοινωνοῦ seu consortis Ministerii, qualis dicitur fuisse Irenæus Photino apud Eusebium lib. 5. cap. 2. Historiæ Ecclesiasticæ. 2. Nullum agnovisse Episcopum Presbyteris suprapositum inter Philippenses. 3. Polycarpum agnovisse Episcopos & Presbyteros eosdem fuisse tempore Apostolorum, & credidisse nullum extare Ministerii gradum eminentiorem supra Presbyteratum. 4. Ecclesias tempore Polycarpi gubernatas fuisse communi Presbyterorum consilio.

Hermas, an Hermes, Pauli Discipulus, cujus scriptio (utcunq; dubiæ fidei sit, attamen antiqua est) Sedulio ca. 16. ad Romanos videtur Divinitus inspirata, quemque Hieronymus inter primos Ecclesiasticos Scriptores enumerat, ejusque librum dicit in quibusdam Ecclesiis Græciæ prælegi: ejusdem planè est sententiæ circa ἰσοτιμίαν Pastorum, cujus est Polycarpus, lib. 3. similitudine 8. perstringit ambitionem quorundam Pastorum qui, quòd se existimarent cæteris vel doctiores, vel præstantiores, πρωτεῖον sibi usurpabāt, & per id dabant occasionem schismati. In opere quem pro genuino recepit Ecclesia, nullius formæ administrationis in Ecclesia meminit, nisi ejus quam constituerunt Apostoli per Presbyteros pari authoritate & dignitate præditos. Per Seniores autem quos lib. 1. visione primâ, dicit Ecclesiæ præesse, ejusmodi Pastores intelligit, quos Jacobus vocat πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας. Visione 3. structuræ sanctæ, lapides dicit esse *Apostolos, Episcopos, Doctores & Ministros qui ingressi sunt in clementia Dei, & Episcopatum gesserunt & docuerunt, & ministraverunt sanctè & modestè electis Dei qui dormierunt, quique adhuc sunt & semper convenerunt:* oleum extrahet ex pumice, qui hîc reperiet Episcopos à Presbyteris distinctos.

Irenæus passim inculcat Episcoporum & Presbyterorum Synonymiam: sic lib. 3. cap. 2. dicit *provocandum esse ad traditionem, quæ per successionem Presbyterorum ab Apostolis in Ecclesia custoditur.*

tur. lib. 4. cap. 43. & 44. dicit *obediendum esse Presbyteris qui successionem habent ab Apostolis*; unum planè ibi, ac passim alibi ordinem faciens Episcoporum & Presbyterorum. Idem apud Eusebium lib. 5. cap. 23. Victorem Episcopum Romanum admonens officii in dissidio circa observationem Paschatis, vocat Soterum qui Victoris erat decessor, Presbyterũ: Eleutherium verò, Anicetum & alios antecessores dicit fuisse Presbyteros; ut taceam Irenæum non obtinuisse eam Episcopatus ὑπεροχὴν Lugduni, quam fingunt nobis Episcoporum patroni.

Origines, tametsi passim mentionem facit Episcoporum & Presbyterorum tanquam Ministerii gradus suo tempore distincti; non videtur tamen multum efferre Episcopatum supra Presbyteratum, ut qui Homil. 6. in Esaiam in Episcopis reprehendit φιλοπρωτεῖον· urgetque illud Marci cap. 9. vers. 35. quo Dominus ambientem primatum ad infima detrudit. Qui (inquit) *Episcopus vocatur ad Episcopatum, non vocatur ad principatum, sed ad servitutem totius Ecclesiæ.* Tractatu in Matthæum cap. 38. membra Ecclesiæ dividit in caput, quod est Christus; oculos, qui sunt Sacerdotes; & manus, seu Diaconos & cæteros Ministros: Vult autem Sacerdotes ideo oculos dici, quia speculatores sunt & gregi invigilant: In eáque allegoria postmodùm diutiùs hæret, Sacerdotes nullo discrimine à se invicem separans.

Eusebii

Eusebii quæ fuerit sententia circa Episcoporum & Presbyterorum identitatem non est facile exculpere ex ejus historia, in qua ut plurimum narrationes texit, quales habet ab Irenæo, Tertulliano, Origene & Clemente Alexandrino; prælertim verò ubi res nobis est cum Hierachicis qui videntes Eusebium recensentem catalogum clarorum virorum qui successivè in quaque provincia & urbe floruerunt ab Apostolorum temporibus, protinus avidè pro ὑπεροχῇ Episcopali id arripiunt, quasi nacti tot singulares Episcopos uno filo deductos ab Apostolis prærogativâ non tantùm προεδρίας, sed & jurisdictionis & ordinationis Presbyteris superiores; passim tamen non obscurè fert unum genus pastorum successionem sibi vendicare ab Apostolis in munus docendi & regendi gregem; nec alios Pastores ab Apostolis præpositos diversis cœtibus Christianæ plebis, nisi qui erant Apostolorum Discipuli pari honore & potestate prædIti. Lib. 3. Ecclesiast. Historiæ cap. 34. *Impossibile est nobis nominatim recensere omnes qui aliquando in primâ Apostolorum successione in Ecclesiis per orbem sparsis Pastores aut Evangelistæ extiterunt.* Hic sanè vel statuuntur Pastores omnes, sive Episcopi, sive Presbyteri Apostolorum successores; vel per pastores soli Episcopi προστασίᾳ presbyteris superiores sunt intelligendi. Sed quod subjicit Eusebius, omnem dubitationis scrupulum evellit; addit enim Clementis Epistolam ad Corinthios

istius

iſtius ſucceſſionis in Eccleſiis per orbem mentionem facere ; in qua quidem Clemens non aliorum meminit paſtorum ab Apoſtolis conſtitutorum, à quibus Eccleſia gubernabatur quàm Presbyterorum qui etiam Epiſcopi nuncupabantur. Quid quod cap. 20. ejuſdem libri ex Clemente Alexandrino refert, cum poſt mortem Domitiani Johannes ex Inſula Patmo reverſus eſſet Epheſum, inde divertiſſe ad vicina loca, ut in quibuſdam locis conſtitueret Epiſcopos; in aliis ut integras inſtitueret Eccleſias : nempe dicit à Johanne oppidatim Presbyteria conſtituta fuiſſe; neque enim mentionem facit unius Epiſcopi pluribus oppidis præfecti, multo minus unius Epiſcopi in ſingulis urbibus aut pagis, Presbyteris præpoſiti; nam qui oppidulum commiſiſſet regimini ſingularis Epiſcopi & Presbyterorum collegii ; cum abunde fuerit ſi ei oppidulo affixus fuit Presbyter unus; qui tamen inibi dicitur Epiſcopus conſtitutus ab Apoſtolo Johanne. Non leve eſt quòd Euſebius, qui paſſim mentionem facit Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, tanquam muneribus diſcrepantium; nunquam tamen Epiſcopis, vel Presbyteris includat Diaconos; qui quia re differunt, ab Epiſcopis & Presbyteris, ideo ſemper voce ſignata diſtinguit : Epiſcopos verò ſæpe pro Presbyteris, & viciſſim Presbyteros pro Epiſcopis uſurpet ; tacitè inſinuans, non tantum intercedere diſcriminis inter Epiſcopum & Presbyterum,

N quantum

quantum inest inter Diaconos & Episcopos vel Presbyteros. Lib. 7. cap. 27. postquam dedit nomina illustriorum Episcoporum, qui synodo Antiocheno adversus Paulum Samosatenum interfuerunt, subjicit, *Poterit autem aliquis innumeros etiam alios Presbyteros connumerare, qui ob eandem causam Antiochiam venerunt; verum inter illos illustriores erant isti quos recensui.* Quos prius vocaverat Episcopos, demum appellans Presbyteros, vel pari honoris consortio dignans Episcopos & Presbyteros.

Basilius Cæsariensis haud dubium credidit Episcopos & Presbyteros eosdem fuisse tempore Apostolorum, ejusdemque muneris & ordinationis; passim enim affirmat eandem potestatem clavium in ligando & solvendo penes esse tam Presbyteros quàm Episcopos; solaque προεδρία facit Episcopos Presbyteris superiores & potiores. Commentario in cap. 3. Esaiæ ad comma 3. quo Deus gravi comminatione prædicit fore ut è medio Judæorum tollat Judicem, Prophetam, & Seniorem, vult Seniorem dici de Ecclesiasticis Senioribus quibus in novo Testamento ait Presbyteros respondere. Mox officium Presbyterorum subjungit, quod prout describitur à Sancto Paulo 1. Timoth. cap. tertio, fusiùs prosequitur; Episcoporum, eorumque officii diversi ab officio Presbyterorum nullam mentionem faciens: Quin potius alibi locorum indiscretè officium Episcoporum & Presbyterorum pro-

ponit;

ponit; veluti in Moralibus, regulâ 71. cap. 1. cujus titulus eſt, ὅσα κατὰ συνάφειαν εἴρηται περὶ ἐπισκόπων καὶ πρεσβυτέρων. *Quæcunque conjunctim præcepta ſunt de Epiſcopis & Presbyteris.* Sed diſerta ſunt verba quæ Baſilius eodem loco in Eſaiam præponit narrationi de Presbyterorum officio. Dicit enim, *Quiſquis præſidentia Cathedræ dignus cenſetur, iamque aſcriptus eſt Presbyterio, ſeu Presbyteratus ordini.* Græcè eſt, ὁ δήποτε οὖν τῆς προεδρίας ἀξιωθεὶς καὶ ἐγκαταλεγεὶς τῷ πρεσβυτερίῳ· nempe ad ejuſmodi Seniorem ſeu Presbyterum dicit pertinere ea officia quæ ad Presbyterum diriguntur; per id demonſtrans multa. 1. Neminem debitè ordinari Presbyterum qui aptus non fuerit ad προεδρείαν. 2 Epiſcopum à Presbytero ordine non differre, ſed προεδρία tantùm. 3. Officia quæ Presbytero dicuntur, competere & Præſidibus, ſaltem πρωτοκαθεδρίᾳ dignis.

Gregorius Nazianzenus noſter eſt Apolog. orat. 1. ſub finem, Eccleſiam comprehendit ſub cœtu populi & Cathedrâ Presbyterorum, ἀλλὰ νῦν ὑφ' ὧν αὐτὸν ἐν ἐκκλησίᾳ λαοῦ, καὶ καθέδρᾳ πρεσβυτέρων αἰνεῖν ἐδεξάμην. Paulo poſt, *Quid longiori oratione opus eſt? habetis ô Paſtores & collegæ; habes nos ò Chriſte Principe Paſtorum digne: Habes ô Pater ad omnia victum, magiſque ſecundum Chriſti leges quàm externas tuæ poteſtati ſubjectum.* orat. 26. verba faciens de regimine & ordine qui in Eccleſia obſervari debet, *Conſtituit ut alii ſint oves, alii præſint*, Paſtores quicunque ſint, Præfecti nuncupantur; neque enim credi-

 bile

bile est Presbyteros ovibus accenseri ; addit, *Ac Spiritus Prophetarum Prophetis subjici, cum Paulus ipse affirmet, non est cur de ea re dubites, & quosdam, inquit, posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Pastores & Doctores* : De discrimine Episcoporum & Presbyterorum altum ubique silentium : Quin, non agnovit munera Episcopi diversa esse à Presbyterorum Ministerio ; nam paulò post multus est ut probet Pastorum esse docere & regere : verba sunt notatu digna. τί σεαυτὸν, ποιεῖς ποιμένα, προβάτων ὤν; τί γίνῃ κεφαλὴ, πούς τυγχάνων ; *Quid Pastoris munus tibi arrogas, cum ovis sis? Quid caput efficeris, cum pes sis?* omnino capitis voce tam Presbyterum quam Episcopum comprehendens.

Paulinus Augustino coætaneus quem Isidorus libro de viris illustribus, cap. 17. dicit, *Meritis Apostolorum non imparem fuisse*, fortiter pugnat pro Pastorum ἰσοτιμίᾳ neque enim Divinâ institutione agnovit quemquam Ministerii gradum supra Presbyteratum eminere. Epistola 6. ad Severum pag. 101. in una pagina dicit se sacerdotem factum, & initiatum Presbyteratui, de quo eâdem Epistolâ loquitur, tanquam de supremo fastigio dignitatis sacerdotalis. Et epistola 23, ad Amandum ait, cum factus est Presbyter, collocatum fuisse cum Principibus & inter sacerdotes populi, eadem verba adhibens, quibus gratulatur Augustino ob Episcopatum adeptum in Hippone urbe, *Te in sede Apostolica cum Principibus*

bus populi sui meritò collocavit; per ea duo innuens. 1. Non magna differentia discrepare Episcopum à Presbytero, quandoquidem ambo considunt cum Principibus populi. 2. Augustinum non fuisse singularem Episcopum apud Hipponenses suos, ut testatur idem Paulinus: Nec leve est quod ipse Paulinus non fuerit Episcopus, ut commentator fidem facit, utcunque vulgò nuncupetur Episcopus Nolanus; sed titulum Episcopi adeptum credibile est, quia cum eo tempore non esset tanta discrepantia inter Episcopum & Presbyterum, quanta postmodum intercessit; quisquis vel doctrina vel sanctitate & prudentia inter æquales erat conspicuus, sic audiebat, quasi solus Ecclesiæ ἐπισκοπὴν gereret: Sed longè præcipuum, est & ad rem facit, quod Epistola 43. inter varias quæstiones quarum solutionem rogat Augustinum, ad quem scribit, petit sibi distingui Ministerii χαρίσματα quæ habentur cap. 4. vers. 11. Epistolæ ad Ephesios. *In his enim* (inquit) *nominibus simile & prope unum doctrinæ officium video fuisse tractatum.* Paulò post. *Inter Pastores & Doctores quid intersit dignoscere volo*; ubi duo observa. 1. Paulinum credidisse nihil interesse inter Pastores & Doctores. 2. Non hæsitasse circa Pastorum discrimen, sed rogasse tantum, nunquid Pastores alii essent à Doctoribus?

Augustinum ideo postpono Paulino, quia apud eum reperio responsionem ad suprapositum

tum interrogatum, quæque extat in commentario Epistolæ ad Ephesios ad paragraphum qui integer destinatur ad quæstionis elucidationem. Verba ejus sunt, *utrumque nomen Pastorum & Doctorum Præpositis Ecclesiæ ascribi solet.* Paulò post subjicit *Pastores & Doctores, quos maximè ut discernere voluisti, eosdem puto esse, sicut & tibi visum est, ut non alios Pastores, alios Doctores, sed ideo cum prædixisset Pastores, subjunxisse Doctores, ut intelligerent Pastores ad officium suum pertinere doctrinam, ideo non ait, Quosdam autem Pastores, quosdam verò Doctores.* Unde hæc duo deduco. 1. Augustinum agnovisse perinde Presbyteros ac Episcopos esse præpositos Ecclesiæ, siquidem utrisque competit appellatio pastorum & Doctorum. 2. Nec agnovisse nisi unum genus præpositorum, quod continet in se tum Episcopos tum Presbyteros; nam si Augustinus credidit diversas χαρισμάτων appellationes muneribus esse indivisas, quanto magis verisimile est existimâsse nuncupationem singularis gratiæ seu præsidentiæ in unum Pastoris genus quadrare; ut non sit tam absonum nomina Pastorum & Doctorum distincta esse muneribus, quàm incongruum est asserere singularem titulum Præsidentis in Ecclesia muneribus discriminari, & ad duo Pastorum genera pertinere. Sed antequam Augustino valedicam, non est prætereundus locus luculentus & illustris desumptus ex authore quæstionum veteris & novi Testamenti Augu-

stino

ſtino aſcriptus, vel potiùs, ut placet Rev. Riveto, aſcribendus authori commentarii in Epiſtolas Pauli, qui prodit ſub nomine Ambroſii. Verba ſunt. *Nemo ignorat Epiſcopos Salvatorem Eccleſiis inſtituiſſe; ipſe enim priuſquam in cœlum aſcenderet imponens manum Apoſtolis ordinavit eos Epiſcopos. Hoc Apoſtolus ſpiritui Sancto deputat, cum dicit, Attendite vobis & omni gregi in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Domini Jeſu.* quæſt. 97. tom. 4. Hic omnia plana; nempe inſinuat Apoſtolos eo modo ordinatos Epiſcopos, quo Actorum viceſimo Spiritus Sanctus dicitur ordinâſſe Epheſinos Epiſcopos qui utrique Presbyteri erant, ut quemadmodum Spiritus Sanctus duodecim Apoſtolos ordinavit Epiſcopos ejuſdem poteſtatis & Miniſterii, ſic Apoſtoli ordinaverint unum genus Paſtorum, qui neque authoritate, neque munere impares eſſent. Nec leve eſt quod dicit Auguſtinus epiſt. 19. ad Hieronymum, Epiſcopatum Presbyterio majorem eſſe ſecundum ſola honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit.

Tertullianum, Cyprianum, Ambroſium, Chryſoſtomum, Hieronymum & Theodoretum pene ſicco pede prætereo, quia vulgaria ſunt loca quæ ex hoc locuplete penu depromi ſolent; Quid quòd vereor, ſi tam longo itineri me committo, ne ſtudio laborem fallente in nimiam molem aſſurgat hæc diſſertatio. Tantùm auſim affirmare, utcunque plerique eorum plus æquo tribuant

ὑπεροχῆ

ὑπεροχῇ Episcopali humanâ consuetudine gradum obtinenti disjitum à Presbyteratu, in eam tamen ferme omnes conspirasse sententiam, ut crederent discrepantiam Episcoporum à Presbyteris non fluxisse ab Apostolis; nec longè ab Hieronymo dissentisse, qui censuit Apostolorum ætate nullum intercessisse discrimen inter Episcopos & Presbyteros, neque gradus, neque honoris; Ambrosium secutus qui non credidit Episcopos tempore Apostolorum peculiari quadam prærogativa & authoritate præpositos fuisse Presbyteris; quique pertendit commentario in Epistolam ad Timotheum, & passim alibi, Episcopi & Presbyteri unam ordinationem esse. His se adjungit Theodoretus, qui commentario in caput quartum epist. ad Timotheum, & in cap. 1. epist. ad Philippenses, affirmat Episcopos & Presbyteros re & nomine indiscretos fuisse Apostolorum ævo. Ipse Chrysostomus, qui aliquot locis vult Apostolorum ætate sola nomina Pastorum fuisse communia, aliis affirmat inter Episcopum & Presbyterum paululum interesse, solâque ordinatione Episcopos Presbyteris superiores esse. Nec Tertullianum & Cyprianum eximo à choro faventium Episcoporum ἰσοβαθμίᾳ. Nec quod in Tertulliano, lib. de præscriptione Hæreticorum, cap. 32. ostentant Hierarchici, officit nobis; imò causam nostram juvat; nec tam ibi loquitur de successione personarum, quam de successione doctrinæ, &, uti loquitur, de traductione

ductione ſeminis Apoſtolici, ſeu doctrinæ quæ comparata cum hæreticorum doctrina pronuntiabit an ſucceſſio ſit Apoſtolica; quam quidem doctrinam Apoſtolicam cum Presbyteri ſucceſſione acceperint ab Apoſtolis, eamque prædicatione ſua ad ſuccedentes Presbyteros tranſmittant; nulla cauſa eſt quin dicantur ſucceſſores Apoſtolorum. Quid quod grande eſt αἴτημα quo præſupponunt à Tertulliano Epiſcopos dici de ſingularibus & localibus Epiſcopis poteſtate ordinationis & juriſdictionis ſupra Presbyteros eminentibus. Nec leve eſt, quòd ibidem Tertullianus ad legitimam ſucceſſionem dicit ſufficere, ut ſi non ab Apoſtolis, ſaltem ab Apoſtolicis viris, qui cum Apoſtolis perſeverarunt deducta fuerit: Jam quis neſcit potuiſſe tempore Tertulliani in multis pagis & vicis deduci perpetuo filo ſucceſſionem Presbyterorum, qui tempore Apoſtolorum inibi conſtituti ſunt Presbyteri, quique Apoſtolici viri fuerunt. Sed nec ex Cypriano, qui plurimum indulget Præſidentiæ quam ſuſtinebant ſuo tempore Epiſcopi; exculpunt Hierarchici, quod volunt in gratiam Epiſcoporum: Quiſquis enim librum de unitate Eccleſiæ attentè legerit, compererit, Cyprianum in ea ſententia fuiſſe, ab Apoſtolis inſtitutos Paſtores ejuſdem poteſtatis & honoris, quorum conſilio Eccleſia regebatur: Etenim inibi non obſcurè docet talem eſſe differentiam inter Presbyteros & Epiſcopos, qualem inter Apoſto-

los & Petrum; Apostolorum tempore Ecclesiam constitisse uno grege, & pluribus Pastoribus; hos Pastores fuisse Apostolos pari consortio honoris & potestatis præditos, gregem unanimi consensione pascentes; *Et quod fuit Petrus, hoc utique cæteros Apostolos fuisse; exordium tamen potestatis ab unitate profectum*, hoc est, ab uno Petro, *ut Ecclesia una monstraretur. Quam unitatem* (inquit) *firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Episcopi qui in Ecclesiâ præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus.* Et paulo post, *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.* Nempe insinuat, ut tempore Apostolorum unitas Ecclesiæ servata fuit ab omnibus Apostolis, & à Petro fluxit, utcunque non esset major cæteris Apostolis; ita amotis Apostolis, unitatem servandam ab omnibus Pastoribus pari authoritate præditis, sed præsertim ab Episcopis, à quibus eo modo pendet exordium honoris & potestatis, quo superstitibus omnibus Apostolis ab uno Petro manavit, qui id fuit cæteris Apostolis, quod Episcopi sunt reliquis Pastoribus; verisimile enim est Cyprianum credidisse ejusmodi partes præsidis datas Petro supra Apostolos, quibus Episcopi superiores sunt Presbyteris.

Sedulius Scotus, commentario in epist. ad Timotheum, cap. 3. dicit *Presbyteros in nomine Episcoporum comprehendi.* Idem in caput 1. epist. ad Titum disertis verbis asserit, tempore Pauli eosdem

eoſdem fuiſſe Epiſcopos & Presbyteros: ad cujus rei confirmationem ipſa Hieronymi verba reſumit, & concludit, *Hæc propterea ut oſtenderemus apud veteres eoſdem fuiſſe Presbyteros quos Epiſcopos; paulatim verò ut diſſentionum plantaria evellerentur, ad unum omnem ſollicitudinem eſſe delatam.* Ibidem docet Titum non fuiſſe relictum in Creta, ut inſulæ toti præponeretur Epiſcopus, ſed ut *rudimenta naſcentis Eccleſiæ confirmaret.*

Primaſius Epiſcopus Africanus, Auguſtini diſcipulus, in cap. 4. epiſt. ad Epheſios, v. 11. *Paſtores ſunt Sacerdotes: Doctores quicunque ſunt idonei ad alios inſtruendos; omnes ergo Paſtores, etiam Doctores, etiam Paſtores:* nullum ponens diſcrimen inter Paſtores & Doctores, nedum Paſtores à ſe invicem ullâ diſcrepantiâ diſtinguens: & in epiſt. ad Timoth. cap. 3. *Quæritur cur de Presbyteris nullam facit mentionem? ſed in Epiſcopis etiam Presbyteros comprehendit, quia ſecundus & pene unus eſt gradus, ſicut multis Scripturæ teſtimoniis comprobatur:* & cap. 5. in primam ad Theſſalonicenſes dicit, qui præſunt Eccleſiæ Theſſalonicæ congregatæ fuiſſe *Doctores & Sacerdotes ſeu Presbyteros;* ſingulari Epiſcopo nullam ſcamni partem quam premat indulgens. Idem commentario in caput 2. Apocalypſ. pluribus probat, Johannem non intellexiſſe per Angelum unum, ſingularem Epiſcopum, ſed Eccleſiæ particularis cœtum, *Non ſeptem Angelis, ſed ſeptem Eccleſiis ſcribit.* Paulo poſt. *Omnes*

O 2 *Eccleſias*

Ecclesias docet, quia dicit; Qui habet aures, audiat quod Spiritus dicit Ecclesiis.

Remigius Episcopus Rhemensis, qui floruit circa annum D. 540. commentario (qui dubium an potius sit Haymonis Halberstatensis) in Epistolam ad Philippenses, nullum agnoscit singularem Episcopum Philippis, Paulo scribente suam Epistolam. Ad caput 3. epist. ad Timotheum verba ejus sunt. *Tacuit de Presbyteris quia in ordine Episcopali comprehenduntur.* Porro Haymo in cap. 4. Cantic. dicit Pastores à Christo institutos, fuisse *Doctores & Prædicatores, quorum caput sit Christus:* mirum ni in hac voce *Doctorum* Episcopi lateant.

Gildas Monachus Anglus qui floruit circa annum 580. unum tantùm genus Pastorum in Ecclesia agnovit, idque ab Apostolis institutum; & toto opere suo, Episcoporum & Presbyterorum officia unâ sede eâque sacerdotali includit, quam & non uno loco Apostolicam vocat; nec compellat Episcopos & Presbyteros, nisi conjunctim & sub appellatione Sacerdotum, vel Pastorum; Ipse titulus operis tantundem dicit, *De conquestu in Reges, Principes & Sacerdotes.* Fol. 34. verba ejus sunt. *Videamus igitur quid Evangelica tuba mundo personans inordinatis Sacerdotibus eloquatur; non de illis (ut jam diximus) qui Apostolicam sedem legitimè obtinent, nobis sermo est.* Quis crediderit Apostolicam sedem cessisse duobus Pastorum generibus: circa

operis

operis finem, sacerdotes dicit esse Apostolorum successores.

Isidorus Hispalensis qui septimo sæculo clarus fuit, propugnator est acerrimus Pastorum ἰσοτιμίας. Libro 2. de officiis Ecclesiasticis, cap. 7. *Presbyteris sicut Episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est; præsunt enim Ecclesiis Christi:* & paulo post, *Apostolus Paulus eosdem Presbyteros ut verè Sacerdotes sub nomine Episcoporum asserit.* Et paulo infra, *Ad Timotheum de ordinatione Episcopi & Diaconi scribens, de Presbyteris omnino tacuit, quia eos in Episcopi nomine comprehendit.* Et sentent. lib. 5. quinque insumit capita in describendis officiis Præpositorum, sub quibus Presbyteri intelliguntur; nam postmodum diserto capite agit de Prælatis seu Pastoribus sæculari potestate vestitis.

Venerabilis Beda in nostram sententiam concedit. Is, quod passim facit, describens officia Pastorum, illis concludit tam Episcopos quàm Presbyteros, ut videre est tomo 3. in Evangelium Johannis cap. 21. Homilia æstivali de sanctis tom. 5. multus est ut probet Ecclesiam commissam fuisse Petro, hoc est, Ecclesiæ Pastoribus, nullo discrimine Pastorum facto. Ibidem in fine Homiliæ, *Quod Petro dictum est, Pasce oves meas, omnibus utique dictum est. Hoc namque fuerant cæteri Apostoli quod fuit Petrus; Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur qui ab Apostolis omnibus tunc unanimi consensione pascebatur, &*

 deinceps

deinceps a successoribus eorum communi cura pascitur. Hic Beda duo vult. 1. Successores Apostolorum perinde inter se æquales esse ac Apostoli fuerunt. 2. Ecclesiam post Apostolorum tempora regi debere communi omnium Pastorum consilio, quemadmodum olim Apostoli in commune Ecclesiam regebant.

Alcuinus seu Albinus, qui floruit circa annum 780. Libro de Divinis officiis, capite *de tonsura clericorum*, non longè abfuit ab Hieronymi sententia. *Sciendum autem, quod primis Ecclesiæ temporibus, etiam Presbyteri, Episcopi vocabantur; sed postmodùm, utili satis provisione constitutum est, ut hoc nomen solis Pontificibus tribuatur;* Presbyterisque ascribit parem cum Episcopis authoritatem ligandi & absolvendi, solis Episcopis reservatâ prærogativâ sacrum chrisma conficiendi, & baptisatos fronte signandi. Et paulo post cap. *quid significant vestimenta*, hæc habet, *Episcopi & Sacerdotis pene unum officium est.*

Amalarius qui vixit circa annum 800. lib. 2. de Ecclesiasticis officiis, cap. 13. *De Presbyteris* prolixus est, probando per Scripturam & testimonia Ambrosii & Hieronymi, Episcopos & Presbyteros planè eosdem esse; & utrosque debere communi consilio Ecclesiam regere; & si quid habent Episcopi supra Presbyteros, id totum debere acceptum referre humanæ institutioni & consuetudini.

Rabanus Maurus qui vixit Anno Domini 840.

agmen

agmen claudet, in quo vel in causa pene profligata ubi res ad triarios rediit, plus satis est subsidii, quo ὑπεροχὴ, qualem cominiscuntur in Episcopis, victam se fateatur, & pro tam diu usurpata potestate in Presbyteratum, veniam poscat Is. tom. 1. lib. 4. de universo cap. 5. *Apud veteres iidem & Episcopi & Presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis est, hoc ætatis, Ideo autem Presbyteri Sacerdotes vocantur.* Idem tom. 5. comment. in epist. ad Tim. c. 3. *Si quis Episcopatũ desiderat, bonum opus desiderat. Bene opus dixit, & non dignitatẽ; nec enim dignitates sunt Ecclesiasticæ functiones, sed opus; eò quòd unumquodque horum pro communi esse utilitate constituitur, sive Episcopatus sive Diaconia*; Episcopatu Presbyteratum includens. Eodem capite movet quæstionem cur Paulus omiserit Presbyterorum officia; ad quam respondet, nequaquam à Paulo prætermissa. *Illa enim quæ de Episcopis in anterioribus dixit, etiam & de illis dicit qui nunc nominantur Presbyteri, eò quòd antiquis temporibus utrisque his nominibus vocabantur Presbyteri.* Paulo post, *Presbyteri perfectam dispensationem & authoritatẽ Ecclesiasticã Ministerii ipsi tunc commissam habebant.* Per id docens, unum idemque munus cum pari potestate & honore tempore Apostolorum omnium fuisse Pastorum, quod postmodum duorum Pastoris generum fuit: Nec finis est: nam in sequentibus Rabanus eadem argumenta reponit quibus Hieronymus & Aerius usi sunt ad astruendam Episcopi & Presbyteri identitatem.

identitatem. Nec minus expressus est lib. 1. de institutione clericorum cap 6. *De Presbyteris.*

Astipulantur celeberrimi quique Pontificiorũ. C. nullus: distinct. 60. *Sacros ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum; hos enim solos habuisse legitur primitiva Ecclesia.* Idem dicit Lombardus lib. 4. sentent. distinct. 24. verba sunt Iohannis Parisiensis, libro de potestate Papæ à Sorbonna approbato; *Presbyteri non sunt inferiores Pontificibus quoad essentialem ministerii dignitatem.* In eadem sententia fuerunt Hugo Cardinalis in cap. 1. epist. ad Titum; Lyranus comment. in eandem Epistolam; Marsilius Patavinus, Defensore pacis, part. 2. cap. 15. & Iodocus Coccius, tom. 2. lib 8. art. 2. & multi alii, à quibus descivit Bellarminus Præsulum Hierarchiæ grandis patronus. His se adjungit Erasmus annotationibus in 1. ad Timoth. 4. & in 1. Petri cap. 5. Expressus est Cassander in consult. art. 14. *An Episcopatus inter ordines Ecclesiasticos ponendus sit, inter Theologos & Canonistas non convenit: convenit autem inter omnes in Apostolorum ætate, inter Episcopos & Presbyteros nullum discrimen fuisse; sed postmodum schismatis evitandi causa Episcopum fuisse Presbyteris præpositum, cui* χειροτονία. *i. e. ordinandi potestas concessa est, sine qua ordinandi distinctione, pax vel politica vel Ecclesiastica retineri vix possit.*

Hæc cum ita sint (id dictum sit obiter) indulgeant Episcoporum patroni nobis, qui extra Angliam Episcopis caremus, si sequimur scripturam ducem

ſcripturam ducem, in illa Epiſcopi & Presbyteri ἰσοτιμία quam obtinuiſſe Apoſtolorum ævo teſtantur Patres & aſſentiuntur adverſarii; ſique ſchiſmatis morbo expertes, non recurrimus ad remedium. Fuit ergo in Lanceloto Epiſcopo Wintonienſi magna ἀβλεψία, ne dicam temeritas, iſthæc tanquam de tripode pronuntiante, reſponſione 1. & 2. ad Epiſtolas Petri Molinæi, *Nullam uſpiam Eccleſiæ πολιτείαν magis ad mentem Scripturæ magiſque ex more inſtitutoque veteris Eccleſiæ, quàm quæ viget hîc apud Anglos:* Nam præterquam quòd teſtimonio Scripturæ & authorum proximè allegatorum demonſtretur regimen Eccleſiæ per Epiſcopos qualeſcunque, juriſdictionis & ordinationis πρωτείῳ ſupra Presbyteros eminentes, repugnare ipſi Scripturæ; meridiana luce clarius eſt moderamen Eccleſiæ per Epiſcopatum qualis hactenus in Angliâ obtinuit, immenſum diſtare ab Epiſcopatu primitivæ Eccleſiæ, quemadmodum in ſuperioribus palam feci.

Secunda Concluſio eſt, *Timotheum, Titum, Marcum, &c. fuiſſe Apoſtolos ſecundi generis, & Apoſtolorum delegatos ad conſtituendas Eccleſias nulli Eccleſiæ addictos*; quod quidem patet ex iis quæ de Epiſcopatu Timothei & Titi ante ſcripſimus, & luculentiùs probatur in celeberrimi Salmaſii Walone Meſſalino contra Petavium, cujus editionem audio maturari.

Tertia Concluſio eſt. *Tempore Apoſtolorum & diu poſt Apoſtolos, Presbyteria ſeu Collegia Presbyte-*

rorum oppidatim fuisse constituta nullo præposito Episcopo. Ad cujus conclusionis probationem operæ pretium est, recensere collegia Presbyterorum, quorum fit mentio in novo Testamento. Primus, isque nobilissimus est, Ierosolymitanus. Plurium in uno versu fit mentio Actorum 14. v. 23. quo Paulus & Barnabas per singulas Ecclesias crearunt Presbyteros; & Epistola ad Titum, in qua Paulus dicit se Titum in Creta reliquisse ut oppidatim crearet Presbyteros, hoc est, coetus & Collegia Presbyterorum, quorum communi consilio unaquæque Ecclesia particularis regebatur. Theodoretus exponit καταστῆσαι κατὰ πόλιν πρεσβυτέριον, ut mens sit, Titum Collegium Presbyterorum in unaquaque civitate constituisse. Fuit & Ephesi collegium Presbyterorum Act. 20. 17. Necnon Philippis, epist. ad Philip. cap. 1. v. 1. & Thessalonicæ cap. 5. v. 12. ut & Corinthi: nec dubium est quin Petrus, 1. epist. cap. 5. compellet Presbyterorum collegia eis locis constituta, ad quæ catholica Epistola erat perventura. Sic Iacobus cap. 5. v. 14. dum jubet ab ægrotis accersi Presbyteros, innuit duodecim tribus diversa habuisse Presbyteria. Istis Presbyteriis nullum præfuisse Episcopum tempore Apostolorum facile est colligere, factâ συνδρομῇ Scripturæ locorum quæ Presbyteriorum mentionem faciunt. Collegio Presbyterorum Hierosolymitano volunt Iacobum Apostolum præfectum fuisse Episcopum, testimonio Eusebii & Hieronymi:

Hieronymi: sed non si quis Episcopus alicujus loci dicitur, sequitur aut solum aut simpliciter ita dictum. Sic Timotheus 1. Thessal. 3. 2. vocatur Diaconus; cum tamen velint fuisse Episcopum Ephesinum: Petrus ab Hieronymo dicitur Episcopatum Antiochenum tenuisse, unde tamen non sequitur eum ibi fuisse ordinarium Episcopum. Iacobo Episcopatum non cessisse electione Presbyterorum planum est ex Hieronymo, qui vult προεδρίαν cœpisse in Alexandria, & ibi primum Presbyteros unum è suo cœtu electum & in excelsiori gradu collocatum Episcopum vocasse: tum quî potuit tribui Apostolo quod jam habebat? cuique per gratiam Apostolatus data erat perpetua præsidentia, perinde ac cæteris Apostolis super omnibus Ecclesiis? Sed nec certò compertum est an hic Iacobus Episcopus Hierosolymitanus fuerit unus ex duodecim Apostolis; nec obscurè fert Paulus epist. ad Galatas cap. 1. v. 19. non fuisse Apostolum, dicit enim nullam sibi Apostolorum factam copiam; se solum Iacobum Domini fratrem offendisse Hierosolymis. Quid quod Dorotheus in Synopsi Iacobum fratrem Domini septuaginta discipulis annumerat. Sed demus Iacobum Apostolum Hierosolymis sedem fixisse, ibique Ecclesiam gubernasse, jurisdicendi & ordinandi πρωτείῳ sibi reservato; quid hoc ad probandū eadem prærogativa præditos fuisse ordinarios Episcopos, & præfectos fuisse aut debuisse aliis Ecclesiis præfici; aut Iacobo

P 2 rebus

rebus humanis exempto successisse in Jacobi locum alium Episcopum pari potestate per omnia præditum quoad ὑπεροχὴν Episcopalem: Aut an si Jacobus extraordinaria vocatione & privilegio præfuit tanquam alter Dictator regimini Ecclesiæ Hierosolymitanæ; continuò ordinarii Pastores admoti gubernationi Ecclesiarum ejusmodi ὑπεροχὴν in exemplum traxerunt? Quid quòd ut Apostoli in commune Ecclesias omnes regebant, Paulo de se dicente, 2. Corinth. 11. v. 28. se habere curam omnium Ecclesiarum; sic neque soli, sed communi Presbyterorum cujusque collegii consilio unamquamque Ecclesiam regebant, Act. 15. v. 6. *Apostoli & Presbyteri convenerunt ut disceptarent de hoc negotio.* & vers. 22. Placuit Apostolis & Presbyteris, ex suo cœtu selectos viros mittere cum Paulo & Barnaba. Nec constat cui in hoc concilio Hierosolymitano datum fuerit προεστῶτος munus. Etenim Petrus aperuit Concilium, quod postea Jacobus clausit: Estque quod mirer, si Jacobo fuit jus Episcopatus, qui factum sit quod in electione Diaconorum Actorum sexto Hierosolymis facta, Lucas reticuerit, illi primas obtigisse partes; quin potius dixerit eam electionem factam fuisse communi duodecim Apostolorum sententia. Sed revera crediderim, Apostolis relictâ Hierosolymâ & ad varias regiones profectis, Jacobum tum demum præcipuam curam Ecclesiæ Hierosolymitanæ suscepisse; sic dicente Hegesippo lib. 5. commentariorum;

tariorum; ita tamen ut ei non affixus eſſet ordinarius ſeu Paſtor ſeu Epiſcopus, ſine quo collegium Presbyterorum Hieroſolymitanum fuiſſet corpus capite expers; aut ei non licuerit ἀλλοτριεπισκοπεῖν, ne ſi aliarum Eccleſiarum curam gereret, obnoxius fuiſſet cenſuræ Canonis 20. Concilii Conſtantinopol. 4. quo Epiſcopis decernitur munere Presbyteri fungi, ſi extra diœceſim docentes deprehenſi fuerint. Sed & hic notandum Iacobum non tam dici Epiſcopum Hieroſolymitanum, quàm Epiſcopatum ſuſcepiſſe cum Apoſtolis, ut videre eſt in Euſebio lib. 2. cap. 22. & Ruffini verba ſunt apud Euſebium cap. 20. *Suſcepit Eccleſiam cum Apoſtolis frater Domini cognomento Juſtus.* Neque ullus præerat Epiſcopus Philippis, quando Paulus ad Philippenſes ſcripſit, ut qui in ipſo limine Epiſtolæ non alios compellat quàm Epiſcopos ſeu Paſtores in verbo laborantes, & Diaconos quibus pauperum cura erat demandata. Porro Epaphroditus quem Philippenſes cum munere ad Paulum miſerunt, unus erat de illo cœtu Presbyterorum: ſaltem non erat Epiſcopus Eccleſiæ Philippis congregatæ; quanquam potuit unus eſſe ex συνεργοῖς Pauli ejuſque delegatis ad ſpecialia munera: Ideo à Paulo & Theodoreto vocatur Apoſtolus Philippenſium. Quid quòd Polycarpus ad Philippenſes ſcribens meminit tantùm Presbyterorum & Diaconorum, quibus præcipit ut ſubjecti ſint, nulla Epiſcopi facta mentione. Ut nec ullus

Thessalonicæ præpositus erat Episcopus, utcunque quidam velint Sylvanum ibi Episcopum fuisse; Paulo Thessalonicenses in hæc verba graviter commonefaciente cap. 5. vers. 12. *Rogamus vos fratres, ut agnoscatis eos qui inter vos laborant, & præsunt vobis in Domino, vosque admonent.* Nempe hoc commate non unum Episcopum, sed plures seu Episcopos seu Presbyteros qui Thessalonicæ erant, triplici elogio insignit, tribusque hisce muneribus vestit, I. Erant κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ. II. Προϊστάμενοι. III. Νουθετοῦντες. Neque solum illis tribuit munus docendi, sed & provinciam regendi. Corinthi etiam, utcunque cœtus in eâ urbe ingens esset Christianorum, nullus contigerat Episcopus, cum Paulus utramque Epistolam ad Corinthios scripsit, teste commentario, qui Ambrosio ascribitur, in epist. ad Corinthios, & Clemente, qui in bene longa Epistola ad Corinthios nullam facit mentionem singularis Episcopi per ullas civitates ab Apostolis constituti: quin potius meminit Presbyterorum sub nomine Episcoporum constitutorum in singulis civitatibus; cum tamen si unquam & uspiam inter primordia pullulantis hæreseos, & novis occasionibus schismatis subinde orientibus in populosa urbe in qua Deus dixerat se habere magnum fidelium numerum, & hoc homine dicente, ego sum Pauli; Illo, ego sum Apollos; alio, ego sum Cephæ; opus fuit Episcopo, qui Paulo alibi longiusculam moram faciente,

faciente, prudentia ſua controverſias componeret,& authoritate ſua contumaces compeſceret. Denique tenendum illud arctè Hieronymi in unaquaque urbe Apoſtolorum ævo plures ſemper conſtitutos Presbyteros ſeu Epiſcopos, quorum communi Conſilio Eccleſiæ gubernabantur; hancque regiminis Eccleſiaſtici formam ab Apoſtolis inſtitutam. Victor qui vixit tempore Irenæi in Epiſtola ad Deſiderium, Presbyteros vocat Epiſcopos, & demonſtrat gubernatam fuiſſe Eccleſiam à Presbyteris uſque ad ſua tempora ; & eâdem epiſtolâ loquitur de mittendis literis ad Presbyteros Galliarum, quos dicit eſſe ſequaces Apoſtolorum. De hoc Victore Euſebius lib.5. cap.25. dicit eum per *decennium Eccleſiaſtico miniſterio præfuiſſe*. De Papia Epiſcopo Hieroſolymitano circa annum Domini centeſimum memoratu dignum eſt, quod idem Euſebius lib.3. cap.36. narrat; Ibi Papias de ſe dicit, ſe fidem Chriſtianam non hauſiſſe ab Apoſtolis, ſed à Senioribus ; unde liquet amotis Apoſtolis Eccleſiæ regimen commiſſum fuiſſe Senioribus ſeu Presbyteris,à quibus Papias edoctus fuerat. Idem Papias in præfatione ſua frequenter mentionem facit Seniorum;Epiſcopi autem,ne ſemel quidem. Sed & anno Chriſti 178. Gallicanæ Eccleſiæ per Presbyteros regebantur, ut patet ex Euſebio Hiſtor.lib.5.cap.1. referente verba ipſa Epiſtolæ Eccleſiæ Lugdunenſis & Viennenſis ad fratres in Aſiâ & Phrygiâ ſcriptæ, in qua graphicè

phicè depingitur constantia plurimorum Martyrum: Inter alios qui Martyrio sunt coronati, dicunt *comprehensos fuisse præcipuos viros per quos ipsorum Ecclesia gubernatur.* Nullâ eo loci factâ mentione singularis Episcopi. Sed quod paulò post sequitur de Photino, omnem dubitationem tollit, nam & hic dicitur cum esset nonagenario major, sustinensque Ecclesiæ Lugdunensis ministerium, perpessus martyrium. Ne quis autem existimet Photinum fuisse singularem Episcopum, iidem qui historiam hanc martyrum texunt, dant in mandatis Irenæo qui literas ad fratres erat perlaturus, ut alias redderet literas Eleutherio Episcopo Romano; apud quem de meliori nota Irenæum commendant, vocantque Ecclesiæ Lugdunensis Presbyterum, & ministerii consortem; Ex quibus colligere est, 1. Photinum è numero præcipuorum virorum fuisse à quibus paulo ante dixerant Ecclesiam suam gubernari. 2. Irenæum ejusdem fuisse ministerii consortem, ac proinde Ecclesiam Viennensem & Lugdunensem nullum tunc temporis habuisse singularem Episcopum. Potuit forsan Photinus vocari Episcopus ad Hieronymo, quod esset antiquior Pastor, ac ætate & sanctitate venerandus; nihil tamen obstitisse certum est, quin Irenæi ἐπισκοπὴ inciderit in idem temporis & loci; erat enim Irenæus provectæ ætatis, vivente Photino, teste Eusebio, qui lib. 5. Hist. cap. 19. vult Irenæum proximè Apostolicis tēporibus successisse; Quid

Ποθεινὸς ὁ τὴν διακονίαν ἐν Λουγδούνῳ πεπιστευμένος.

quod,

quod, ſi creditur Sixto Senenſi lib. 4. Bibliothecæ, Martyrium Irenæi incidit circa idem tempus quo Photinus martyrio coronatus eſt. Etſi aliquot annis falſum fuiſſe Sixtum, exiſtimandum ſit; attamen jam ante martyrium Photini, Irenæus clarus erat ſub nomine Epiſcopi Lugdunenſis. Sed cùm Lugdunenſis Eccleſia in Epiſtolâ ad fratres Aſianos & Phrygianos, narret res præcedentibus annis geſtas, & credibile ſit longè ante è vivis exceſſiſſe Photinum, quàm Irenæus mitteretur legatus in Aſiam; velim rogatos aſſertores ſingularis Epiſcopatus Irenæi, an Epiſcopus renuntiatus fuerit ante legationem ſuſceptam, an verò poſtquàm domum reverſus eſt? prius factum fuiſſe non dixerint; nec enim decuit ὑπεροχὴν Epiſcopalem, ut qui Princeps cenſetur Presbyterorum, à ſubditis delegatus fuerit: aut, an credibile eſt potuiſſe Dioceſanum Epiſcopum abeſſe, integris rebus ſuæ Eccleſiæ, toto tempore quod legationis obeundæ in remotas terras inſumendum fuit? An tempore Irenæi, plus Presbyteris, minus verò Epiſcopo licuerit, quàm multis poſt ſæculis, ut Presbyteris integrum fuerit quicquam agere extra Epiſcopum? Quod ſi volunt Irenæum demum Epiſcopum creatum fuiſſe legatione peractâ, dicendum erit (ſiquidem ſtatuunt Irenæum proximè ſucceſſiſſe Photino) Lugdunenſem Eccleſiam ſaltem unum annum aut alterum, ſi non plures, vel gubernatam per ſolos Presbyteros, vel potuiſſe

ex Presbyterorum cœtu unum obire vices & partes Episcopi; utcunque, si fides est Episcopalis ὑπεροχῆς patronis, *Presbyter non sit cujuslibet functionis Episcopalis exercendæ capax per modum delegationis, sed per modum cooptationis ad Episcopatum.* Quoquo versum se vertunt, hic angustiæ constringunt, dum pertendunt Irenæum fuisse singularem Episcopum Lugdunensis Ecclesiæ. Inde est quod Baronius & Pamelius veriti ne Episcopatus Irenæi cum Photini Episcopatu confunderetur, ponunt martyrium Irenæi ad annum circiter 204. ut plus satis superque sit spatii quod intercedat inter Photini & Irenæi martyrium: sed boni viri hisce difficultatibus se extricabunt, si admittant eodem loco & tempore Episcopos fuisse Photinum & Irenæum; qui cum essent pars cœtus Presbyterorum, potuerunt sic delegari à suo cœtu, ut ex neutrius absentiâ quicquam damni Ecclesia pateretur: nec etsi concederetur Episcopos illius ævi habuisse hanc ὑπεροχὴν, pro quâ hodie pugnatur, non tam pro aris quàm pro focis; quicquam tamen sequi incommodi, si duo Episcopi unam sedem occupare affirmentur; nam longo post tempore cum Episcopalis βοήθεια ad αὐθεντίαν assurgere gestiebat, Hipponensis Ecclesia habuit Episcopos Valerium & Augustinum, ut testatur Paulinus Augustino σύγχρονος. Is enim epist. 46. ad Romanianum, gratulans Romaniano, nuntiat Valerio Hipponensi Episcopo Augustinum datum esse

collegam

collegam & Coepiſcopum. At ne quis putet forſan ægroto accommodaſſe operam, verba Paulini ſunt, *Incolumi Valerio Hipponenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Coepiſcopus Auguſtinus eſt.* Paulò poſt, *Quem ſucceſſorem ſacerdotii ſui ſimpliciter optabat, hunc meretur tenere collegam*; argumento, quandocunque vel Auguſtinus vel quiſpiam alius virtute & doctrinâ conſpicuus vocatur urbis vel provinciæ Epiſcopus, non negari ullum illi adjunctum fuiſſe collegam.

Quarta concluſio hæc eſt; *Invectos & introductos fuiſſe circiter ſeculum unum poſt Apoſtolorum tempora, Præſides perpetuos qui Epiſcopi vocati ſunt*; qui quidem Præſides ſolâ προεδρείᾳ ſuperiores fuerunt, nec quicquam obſequii illis delatum à Presbyteris, niſi quod debebatur honori & meritis hominis nihil diſcrepantis à ſuis collegis ulla poteſtate ſeu juriſdictionis ſeu ordinationis. Si poſtliminio majus diſcrimen inter Epiſcopum & Presbyterum in Eccleſiâ obtinuit, pependit omnino hæc differentia, non tantùm merè ab humano jure, ſed & à prava Eccleſiæ conſuetudine, quâ factum eſt ut tantum differat Presbyter ab Epiſcopo, quantum Epiſcopus à Metropolita, & Metropolita à Patriarcha. Hic ergo nullam aliam ὑπεροχὴν & προστασίαν in Presbyterorum collegium admiſſam & admittendam agnoſcimus, quàm quæ ad εὐταξίας & decori conſervationem pertinet; non autem quæ functionem Eccleſiaſticam ſpecie poteſtateque differentem

adjicit; Præsidentes (Præsules an Episcopos dixeris, parum interest) non tam præesse Presbyteris quàm gregi, ideo coæquales esse collegis Presbyteris, nec plus potestatis sibi assumere quàm quantum à collegis Presbyteris concessum fuerit; plus tamen extra coitionem collegarum habere jurisdictionis in gregem, quàm collegarum quisquam; ita tamen ut si plus authoritatis perpetuus Præses habet in quenquam de grege, quàm quisquam de cœtu Presbyterorum, ille Præses nullam habeat authoritatem in Presbyteros. Non si Rex aliquis plus robore & authoritate valet quàm Princeps vicinus, qui juris sit minoris, sed tamen sui; continuò sequitur illum Regem quicquam authoritatis habere in Principem. Nec Præsulis partes quales sunt in Synodis, rogare sententias, pronuntiare communi consilio decreta, præ se ferunt aliquam in Presbyteros authoritatem. Denique ut dicit Ambrosius, Presbyteri nihil tribuunt Præsidi suo, quàm quod prius sibi jure vendicant. Ejusmodi fuerunt Episcopi non multùm post Apostolos in cœlum illatos; quanquam non diu licuit esse beatis; mysterio iniquitatis indies pullulante, & Præsidibus, πρωτοκαθεδρία tantùm superioribus, primatum affectantibus; ut qui primi erant Presbyterorum, quales Augustinus dicit omnes Episcopos esse, postmodùm Principes & Domini Presbyterorum facti fuerint; & cùm olim plura uno collegia essent Presbyterorum, nulli Episcopo,

copo, ſed tantùm Synodo obnoxia, quibus ſingulis ſuus præerat Præſes; poſtea evenerit ut unus Epiſcopus pluribus cœtibus, imò urbibus præficeretur, ut apparet ex Concilio Sardicenſi can. *6.* Cumque primùm ætas daret πρεσβείαν, mox meritum dedit, & à πρεσβείᾳ deventum eſt ad primatum; & cum Presbyteri numero magis quàm meritis illuſtres, locum dediſſent ei qui doctrina & ſapientia cæteris anteibat, ultro è ſuo cœtu deligentes unum qui ad decori ordiniſque conſervationem perpetuò præſideret; factum eſt lapſu temporis, ut hic unus, ſeu negligentiâ, ſeu conceſſione collegarum, ad eam quam hodierno die obtinent Epiſcopi, poteſtatem & dignitatem ſupra Presbyteros aſſurrexerit; quanquam tamen non certò conſtet, an uni Presbyterorum collegio unus, aut potius duo ſimul, ſed alternatim, munere Præſidis defungentes addicti fuerint: Ut ut ſit, certum eſt in primitivâ Eccleſiâ uni urbi aliquando plures uno Epiſcopos ſeu Presbyteros, πρεσβείᾳ tantùm potiores præfectos, fuiſſe; quandoque etiam multas urbes nullum habuiſſe ejuſmodi Epiſcopum. Epiphanius Hæreſi 75. ὅπου οὐκ εὑρέθη τις ἄξιος ἐπισκοπῆς, ἔμεινεν ὁ τόπος χωρὶς ἐπισκόπου· ὅπου δὲ γέγονε χρεία, καὶ ἦσαν ἄξιοι ἐπισκοπῆς, κατεστάθησαν ἐπίσκοποι. *Ubi nullus inventus fuit dignus Epiſcopatu, manſit locus ſine Epiſcopo; ubi verò opus fuit, & erant digni Epiſcopatu, Epiſcopi conſtituti fuerunt.* Viciſſim 86. de Miletianis, dicit de Alexandriâ, *nondum ut aliæ urbes, habuiſſe duos Epiſ-*

copos, οὐ γὰρ ποτ' ἀλεξανδρία δύο ἐπισκόπους εἶχεν ὡς ἄλλαι πόλεις. Cæterum tametſi cœperit ἀνανδρία ab Alexandria, eamque poſtmodum in exemplum traxerint reliqui Chriſtianorum cœtus; attamen retinuit longiſſimè omnium æqualitatem Presbyterorum; nec niſi poſt aliarum urbium Epiſcopos, Alexandrini Epiſcopi uſurpaverunt ſibi quicquam authoritatis in collegas Presbyteros; atque fere ultima omnium Eccleſiarum particularium habuit duos Epiſcopos ſeu duos de cœtu Presbyterorum præcipuos viros ſelectos, qui vel ſimul vel alternatim in conventibus Eccleſiaſticis munere Præſidis fungerentur. Sed & ab Apoſtolis aliquot ſæcula elapſa ſunt, antequam uni provinciæ vel Diœceſi Epiſcopus ſingularis præficeretur: Quin, per id temporis ſingulæ urbes, imo pagi, vel duos habuerunt Epiſcopos, vel ſaltem unum Paſtorem qui Epiſcopus vocabatur. Paſtores quibus nobiliora loca commiſſa erant, Epiſcopi παροικίας, alii χωρεπίσκοποι appellabantur. Cyrillus Catecheſi 14. vocat Jacobum παροικίας Ieroſolymitanæ Epiſcopum, & Euſebius paſſim, non tribuit majorem ambitum ſingulari Epiſcopatui Apoſtolorum & Patrum, quàm parochiæ unius; argumento, veteres Epiſcopos non fuiſſe pluribus urbibus præpoſitos, nedum integræ provinciæ; ſed vel unius fani ſeu templi conſortibus, vel uni tantum urbi ejuſque accolis addictos fuiſſe. Cæterùm appellatio Chorepiſcoporum demonſtrat ſingulos pagos

ſuum Epiſcopum habuiſſe; dicti enim quaſi τῶν χωρῶν ἐπίσκοποι, quod nominis diu retinuerunt; donec creſcente Epiſcoporum dignitate, Epiſcopi magnarum urbium parvos abſorpſerint, & indignum viſum fuerit, ut pagani Presbyteri nomen Epiſcopi retinerent. Concilium Carthaginenſe, II. Can. 5. meminit Diœceſeon quæ nunquam acceperant Epiſcopum, nempe quia ſingulæ urbes, imò pagi, habebant Epiſcopum; quod & videtur innuere Cyprianus, epiſt. 52. *Iampridem per omnes Provincias & per urbes ſingulas, ordinati ſunt Epiſcopi in ætate antiqui, in fide integri, in preſſurâ probati, in perſecutione proſcripti.* & Canon 20. Concilii Africani, quo decernitur ad examinandum cauſam Presbyteri accuſati, ut adjungantur Epiſcopo ex vicinis locis, ſex alii Epiſcopi. Patribus autem in Epiſcoporum texendis ſucceſſionibus, non alia mens fuit quàm continuam docentium ſeriem memoriæ prodere; neque enim innuere voluerunt unum ordinis προστασίᾳ ita enituiſſe, ut nullum conſortem miniſterii admiſerit: ſic Matthias dicitur λαβεῖν ἐπισκοπήν, quòd conſors eſſet Miniſterii, non verò quòd in quenquam προστασίαν haberet. Sed hoc obiter tenendum, plures decipi apud Patres voce προστασίας & προεστώτων, quaſi ſemper poteſtatem & primatum includeret, & ſignificaret ἐξουσίαν & αὐθεντίαν; cum tamen προστασία apud Suidam ſit βοήθεια, patrocinium & protectio, idemque ſonet quod ἐπισκοπή, quæ vox non eſt nomen poteſtatis, ſed

curationis

curationis & administrationis annumerandæ charismatis quæ ab Apostolo inter ἀντιλήψεις & κυβερνήσεις recensentur. Celeberrimus Salmasius dicit in Hesychio, Chrysostomo & Theophylacto, nomen προστασίας interpretandum per procurationem & protectionem; nominatim ad locum, 1. Timoth. cap. 3. ubi Chrysostomus, εἴτις, φησίν, ὀρέγεται τῆς προστασίας, &c. *Siquis, inquit, cupit procurationem.* In Gregorio Nazianzeno Apolog. 1. orat. 1. Μήτε τῆς οὐ διδομένης ὀρέγεσθαι προστασίας, μήτε ἀποθεῖσθαι τῆς διδομένης. *Neque oblatam administrationem appetere, neque oblatam repudiare.* Statuendum ergo, cùm Patres dicunt hunc aut illum fuisse primum Episcopum cujuspiam urbis aut regionis, nihil aliud voluisse quàm primum inter ipsos Evangelium promulgâsse, aut unum tantùm nominari, quia cæteris collegis posthabitis solus dignus visus est qui posteris innotesceret: Sic cùm credibile sit Smyrnæ Episcopos tres simul vixisse, Polycarpũ, Bucolum, & Aristonem; unus Polycarpus ab Irenæo & Eusebio vocatur primus Episcopus, nec suo tempore alius nominatur ab eis, Episcopus Smyrnensis, ut qui præ aliis ob doctrinæ & vitæ sanctimoniam Scriptorum memoriæ insedit: Ideo Eusebius eum vocat ἀποστολικὸν ἄνδρα, & Irenæus πρεσβύτερον ἀποστολικόν. nec credibile est quando Irenæus dixit Polycarpum fuisse constitutum Smyrnensem Episcopum, aliud designâsse, quàm vel primum inter Presbyteros tenuisse ordinem & consessionem, vel ab Apo-

stolis

stolis delegatum fuisse, ut non tam Smyrnæ quàm in totâ Asiâ, Ecclesias constitueret; expressè enim Irenæus dicit, fuisse Asiæ Episcopum; Ipse Polycarpus Epistolâ ad Philippenses duos tantum agnoscit ordines ab Apostolis institutos, Presbyteratum & Diaconatum. Iscanus pag. 47. dicit prodigiosum esse quod fingo discrimen inter duo Episcoporum genera; Episcoporum unum, quorum erat solummodo munus docendi; alterum eorum qui curabant tam quæ Sacramentorum quàm quæ aliorum actuum Ecclesiasticorum administrationem spectabant; utcunque hæc non à me, sed à Salmasi, habere professus sum; in quem tamen ausus est Iscanus arripere virgam censoriam, cujus vix est dignus qui lambat vestigia: Quicquid sit de hoc discrimine, certum, est apud veteres neminem concionatum fuisse præter Episcopum nisi raro, & quando contingebat Episcopum parum esse vulgaris sermonis peritum, ut accidit Augustino sub Valeriano natione græco, & ob id ad latinum sermonem minùs expedito. Hic rogarem Iscanum, quid tunc demandatũ Presbyteris abundantibus otio & numero superantibus Episcopos; nisi executio aliorum actuum Ecclesiasticorum, quæ ad provinciam vacandi verbo & doctrinæ non pertinebant.

De ordinatione jam verba faciam; de qua quicquid quod paucis erat in Epistola mea dixi, ad hæc tria referebatur. I. Ordinationis jus, seu manus impositionem, perinde ad Presbyteros

atque ad Episcopos pertinere. II. Ordinationem non pertinere ad Episcopos quatenus Episcopi sunt, sed quatenus Presbyteri. III. Praxim Ecclesiæ, fidem facere tam Episcopum quam Presbyteros manus imponere μένοντι Presbytero. Iscanus hic nec me, nec rem attingit, & videtur orsa à R. Hallo retexere, qui parte 2 præfixit hunc titulum sectioni decimæ quintæ. *Potestatem ordinationis ad solos Episcopos pertinere.* Sanè vox *solos* excludit Presbyteros: At Iscanus dicit *neminem Anglicanorum Præsulum sibi soli arrogare ordinationem, sed sibi comites in sacro sancto hoc negotio lubens adjungit:* poteras voce illa *lubens* abstinere, qua retrahis quod porrexeras, & tacitè insinuas ordinationem nihilominus fore legitimam, quæ fit ab Episcopo recusante sibi adjungi Presbyteros; qui quidem secundum te tantum ad decorum vocantur, quo ordinatio illustrior fiat, etsi non firmior: Sic enim solent sentire & loqui Episcopalis ὑπεροχῆς patroni; quanquam interdum aliter loquantur, ut Presbyteris palpum obtrudant. Downamus in Concione à Gersomo Bucero excussa, dicit *ordinandi potestatem Episcopo ascribi, ac Presbyterorum manus adjungi, non ex necessitate, sed ad majorem actionis gravitatem.* De tribus hisce capitibus acturus sigillatim; operæ pretium est quædam de natura ordinationis, in genere præmittere, quæ lucem inferant his tenebris. Antequam quis fiat Pastor & admittatur ad sancti ministerii functionem, sunt qui duo media adhiberi velint, electionem

&

& ordinationem, quorum genus ſit vocatio: Alii ordinationem conſtituunt genus, cujus ſpecies ſint, vocatio interna, electio, & oratio ſeu benedictio juncta cum manuum impoſitione. Prima inchoatur in eo qui futurus eſt verbi Dei Miniſter; ſecunda ſit à populo; tertia perficitur & impletur à Paſtoribus Eccleſiæ Præcipuus actus ordinationis jure pertinet ad totam Eccleſiam, exemplo matrimonii cujus celebrationis vis nititur conſenſu firmato utriuſque partis: In tertio actu ſeu actione ponendi manus decuſſatim ſuper capite non conſiſtit ordinatio, cùm *impoſitio manuum nihil aliud ſit quàm oratio ſuper hominem*, teſte Ambroſio in 1. ad Timoth. & Gratiano cauſ. 1. cap. *manus*: quem actum etſi omnino adhibendum cenſeam, propter antiquam Eccleſiæ Apoſtolicæ conſuetudinem; non tamen neceſſarium exiſtimarim, ratione peculiaris alicujus præcepti Divini, ut is non ſit legitimè admiſſus ad miniſterium, cui hic ultimus ritus non fuerit uſurpatus. Nempe per hunc ritum benè precantur Paſtores, Paſtori deſignato, eique proſpera omnia rogant Deum omnium bonorum largitorem. Quid quod jam ordinatis ſed delegatis ad munera ſpecialia, olim imponebantur manus ut proſperè illis eſſet; cujus rei luculentum exemplum habemus, Actorum decimo tertio v. 3. Ibi enim cœtus Paſtorum & Doctorum, ſpiritu Sancto ſic jubente, imponunt manus Barnabæ & Paulo, eoſque ad gentes mittunt

tunt. Gildas Monachus Anglus, cujus supra mentionem injeci, operis folio 41. affirmat in χειροθεσία non consistere ultimum actum admissionis ad ministerium, sed in benedictione sacerdotis: verba ejus sunt, *lectiones illæ merito excerptæ sunt ex scripturarum textu, ut non solùm recitentur, sed etiam adstipulentur benedictioni quâ initiantur sacerdotum vel Ministrorum manus.* Chytræus in 19. Geneseos id quod volo egregiè explicat. *Sciendum est vocatos & electos voce Ecclesiæ fungentes Ministerio, etiam sine ritu impositionis manuum, veros Ministros Ecclesiæ esse. Non enim imprimitur hoc ritu singularis character ordinato: nec potestas Ecclesiastica seu jus docendi Evangelii & administrandi Sacramenta pendet ex hoc ritu: Nec propter hunc ritum efficax est Ministerium ordinati: sed valet Ministerium, & est potentia ad salutem omni credenti propter ordinationem divinam. Additur autem ritus impositionis manuum publicæ declarationi personæ vocatæ ut renuntiatio fiat illustrior, ut hic ritus de certis officiis admoneat.* Diserti sunt Patres. Cyprianus. Ep. 68. *Coram omni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instruit & ostendit ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientiâ fieri oportere, ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, ut sit ordinatio justa & legitima quæ omnium suffragio & judicio fuerit comprobata.* Quin idem Cyprianus epist. 52. ad Antonianum, scribens apologiam

pro

pro Cornelio Episcopo Romano quem legitimum pertendit Episcopum ; Novatianum verò repudiat tanquam multis criminibus contaminatum ; electionem & consensum Ecclesiæ facit unicum γνώρισμα Cornelii legitimæ ad Episcopatum admissionis, nulla mentione χειροθεσίας facta. *Factus est Cornelius Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio; de plebis quæ tunc adfuit suffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio.* Locus sanè quo aurum non est pretiosius, inquo, habes qua in re consistat ordinatio; habes suffragia Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum & Seniorum ; nec non plebis calculum : quæ quidem omnia ante requirit, quàm quis ordinetur Episcopus. Ipsa vox χειροτονία, quæ quandoque cum χειροθεσία omnes simul ordinationis actus comprehendit, quando, ut sæpius fit, ad sola suffragia hominum vel alicujus conventus, restringitur ; accipitur pro completa ad munus admissione, tam in sacris codicibus quàm prophanis ; denominatione factâ à majori & efficaciori : Sic Actorum 14. v. 23. ubi Presbyteri dicuntur creati per suffragia Ecclesiarum, Lucas utitur voce χειροτονεῖν. Sic 2. Corinth. cap. 1. commate 19. Paulus eadem voce utitur, sub qua χειροθεσία nequaquam intelligi potest. Ignatius Epistolâ ad Philadelphenses, dicit decere eos, ut Ecclesiam Dei χειροτονῆσαι ἐπίσκοπον, vel ut alii legunt διάκονον, quasi eorum suffragiis ordinatio suis numeris

absoluta esset. Apud Aristophanem τῆς ἀρχῆς κεχειροτονήσομαι, *Magistratum*, populi scilicet, *suffragiis adeptus sum*, in qua χειροτονία non est credibile intelligi adhibitam fuisse χειροθεσίαν; & Plato de legibus, ὅς ἂν πλείοσι χειροτονία γίγνηται *qui majori suffragiorum numero delecti*. In Suetonio, Nerone, num.40. cooptatio ad magistraturam & Provinciæ administrationem, vocatur ordinatio.

Hactenus de vocatione externa Pastoris, cujus doctrinæ puritas & vitæ sanctimonia fuerint exploratæ; deque ejus χειροτονία per suffragia tam cleri quàm plebis: sequitur χειροθεσία seu oratio facta ab aliquo Pastorum, nomine totius Ecclesiæ. Quæritur ad quos pertineat hic ordinationis ultimus actus? Scriptura plana est, id muneris competere in verbi divini Ministros seu Pastores: Sed an perinde in Episcopos atque in Presbyteros, vix decidet Scriptura apud eos, qui etiamnum dubitant & disputant an in Scripturâ detur Ministrorum distinctio in Episcopos & Presbyteros? quanquam utrobique constet χειροθεσίαν in novo Testamento fieri à Pastoribus. Porro tametsi admitterem mentionem fieri in Scriptura officii Episcoporum distincti à Presbyterorum functione, non video quid obstet quo minùs ultimus actus ordinationis non possit à Presbytero celebrari? An qui præditus est potestate ligandi & solvendi, annuntiandi Euangelium, fidem suo modo creandi & ad æternam felicitatem perducendi; non habebit facultatem

nomine

nomine gregis & Paſtorum, benedicendi, & bene precandi ei qui ad miniſterium admittitur? Ipſe Epiſcopus cui ſoli volunt competere χειροθεσίας poteſtatem, nunquid ſuo, an verò Eccleſiæ & Paſtorum circumſtantium nomine hunc ritum peragit? Faceſſat ergo diſtinctio Paſtoris in Epiſcopum, & Presbyterum, ubi Paſtori deſignato imponendæ ſunt manus; quandoquidem Spiritus Sanctus nullam adhibet in opere exequendo quod æquat aut ſuperat illam χειροθεσίαν. *Dedit*, inquit Apoſtolus Epheſ. 4. commat. 11. & 12. *Paſtores & Doctores ad coagmentationem ſanctorum & opus miniſterii, donec evadamus omnes in unitatem fidei & cognitionis Chriſti in virum ſanctificatum.* Quod ſi χειροθεσία longè ſuperat hoc Miniſterii opus, alibi mihi quibus me tuear, erunt quærenda præſidia.

Si centies eluderetur locus, 1. Timoth. 4. v. 14. *Ne negligito donum quod in te eſt per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii*, centies quicquid dicat Iſcanus à me reponeretur, probaturus cœtum Presbyterorum Timotheo impoſuiſſe manus, donec in ſolidum mihi ſatisfactum eſſet: volunt τὸ πρεσβυτέριον exponi de officio, cum tamen nuſquam quod ſciam in novo Teſtamento ita uſurpetur; ſanè πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, Luc. 22. v. 66 & πᾶν τὸ πρεσβυτέριον, Act. 22. v. 3. nihil aliud ſonant quàm coitionem ſeu conventum hominum: & in epiſt. Cornelii Romani ad Cyprianum epiſt. 46. *Placuit contrahere Presbyterium*, haud dubium agitur

agitur de cœtu Episcoporum. Quid quòd cum officium, per χάρισμα διὰ προφητείας, denotetur; si per Presbyterium, officium quoque intelligeretur, non posset non esse superflua tautologia in uno commate: Porro cum χάρισμα διὰ προφητείας sit donum interpretandi Scripturas; non tantùm revelatione Divina datum, sed & studio acquisitum, alioquin non opus fuisset hortari Timotheum ne pateretur intercidere per socordiam donum quod acceperat; planè consentaneum fuit vocatione ordinariâ internosci Timothei diligentiam & egregiam navatam operam circa Scripturarum explicationem, atque coram facie Ecclesiæ à Presbyteris, Paulo ipso agmen ducente, in numerum Pastorum recipi. Testimonia quæ Iscanus ait posse proferri ex Hieronymo, Anselmo, Haymone & Lyrano, ad probandum, Presbyterium hoc Timothei loco de officio intelligi debere, non sunt tanti, ut opponi debeant Chrysostomo, Theodoreto & Aquinati, nec non magno numero recentiorum. Chrysostomus quidem πρεσβυτέριον non intellegit de cœtu Presbyterorum sed Episcoporum. *Neque enim*, inquit, *Presbyteri Episcopum ordinabant*; sed nec de officio seu donis per prophetiam collatis intelligit; Theodoretus dicit gratiam hic appellari doctrinam; Presbyterium autem dici de iis qui Apostolicam gratiam acceperunt. Inter recentiores Whitakerus unus instar omnium erit. Controv. 2. quæst. 5. cap. 5. disputans contra Bellarminum.

Hic

Hic locus contra adversarios facit maximè; ex hoc enim loco intelligimus fuisse Timotheo manus impositas à Presbyteris, qui tunc temporis communi consilio Ecclesiam regebant. Fateor Episcoporum dignitate & censu augescentibus, sibi usurpasse potiores partes in χειροθεσία, vel eripientibus Episcopis quod suum non erat, vel Presbyteris ultro de suo jure cedentibus, ut Episcopi soli præessent in ordinatione, & irrita censeretur ordinatio, in qua Episcopus non esset moderator actionis: Hinc factum, ut consuetudinem in regulam traxerint; & pro concesso postmodum apud nonnullos veterũ fuerit, Episcopos Presbyteris esse superiores jure ordinationis. Sed, quod maximè ad rem præsentem facit, non si sexcenta loca ex antiquis canonibus & Patrum scriptis petitis & testimoniis Ecclesiæ praxeos, producerentur pro facultate ordinationis solis Episcopis ascripta, continuò sequeretur, jure & Divino præcepto ad solos Episcopos pertinuisse: nam & totidem locis ex Ecclesiastica historia erutis possem demonstrare Episcopos sibi solis quoque arrogasse potestatem exercendi quemcunque actum ad functiones sacri ministerii attinentem; ita ut nulli Presbytero licuerit, concionari, nec baptizare, nec Eucharistiam celebrare, nisi precariò, & tanquam ad id operis ab Episcopo delegato, ac vicariam sub Episcopo provinciam sustinenti: Inde tamen non puto hodiernos Episcopos velle confici Presbyteros

à se creatos, simulac ad munus sanctum admissi sunt, id precariò tantùm & ad nutum suum exercere. Age excutiant veternum quotquot sunt qui Episcopatum non eliminandum cupiunt ex Ecclesia Dei, sive Episcopi, sive Presbyteri, & deposito partium studio, sincerè agnoscant Episcopos antiquos, quibus non multò post Apostolorum tempora, προεδρία moderatoris perpetúa ad εὐταξίαν concessa fuerat; eâ indulgentiâ ad ambitionem & avaritiam postmodum abusos fuisse, & involasse in jus Presbyterorum, atque in eorum fraudem potestatem non tantùm ordinandi, sed & quoslibet actus Ecclesiasticos ad se traxisse; utrobique enim par fuit usurpationis licentia. Commentarius Sancto Ambrosio ascriptus in Ephes. 4. 2. dicit moris fuisse in principio, ut tam Episcopi, quàm Presbyteri & Diaconi concionarentur, nunc verò rem aliter se habere; *unde nunc*, inquit, *neque Diaconi in populo prædicant.* In vita S. Augustini refertur moris non fuisse in Ecclesiis Africanis, ut Presbyteri concionarentur. Sic Baptismi administratio fuit penes solum Episcopum. Tertullianus de Baptismo cap. 17. *Baptismum dandi jus habet summus sacerdos qui est Episcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi; non tamen sine Episcopi authoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est, alioquin etiam Laicis jus est.* Nempe qualescunque actus Ecclesiasticos peragebantur ab Episcopo, mutis & otiosis Presbyteris, nisi loqui & agere jussis.

Sed

Sed quoniam hæc non ubique fiebant, & quasi ab invitis extorta videbantur; non desunt testimonia Conciliorum & Patrum, quibus palam fit Presbyteros commune jus χειροθεσίας cum Episcopis habuisse, & in hoc ritu cum illis operas sociasse. Disertus est Canon. 22. Concilii Carthaginensis quo cavetur ut *Episcopus sine consilio clericorum suorum clericos non ordinet ita ut civium assensum & conniventiam quærat*, & Canone 4. ut *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente & manum super ejus caput tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manus Episcopi super caput illius teneant.* Et Cyprianus multus est ut de se profiteatur se nullos actus Ecclesiasticos agere inconsciis Presbyteris. Quin reluctantibus Presbyteris non poterat Episcopus ordinare. Eusebius lib. 6. cap. 42. narrat Episcopos interdixisse Episcopo ne Novatum Presbyterum ordinaret; Episcopum verò obnixè togasse ut hunc solum χειροτονεῖν sibi permitterent. Nec qui Hieronymum & Chrysostomum ad suas partes trahunt, ut probent Episcopos, potestate ordinandi supra Presbyteros eminere, assecuti sunt aut assequi voluerunt eorum mentem. Dicit Hieronymus epist. ad Euagrium. *Quid facit excepta ordinatione Episcopus quod Presbyter non facit.* Ubi loquitur ex consuetudine sui, non verò Apostolorum temporis, quo antea dixerat, eosdem planè fuisse Episcopos & Presbyteros & per omnia æquales fuisse; præpositum quidem postea singulis cœ-

tibus unum quem Episcopum vocabant; sed id factum fuisse in Schismatis remedium; nec προεδρείαν illam obstare, quo minus & tempore suo par utrobique fuerit jurisdictio, nisi quod ille ritus ordinationis seu vocationis testificatio, ac declaratio per orationem & χειροθεσίαν, peragi solitus fuerit nomine totius cœtus à primo Presbyterorum, quem Episcopum vocabant; nec hanc prærogativam à cœtu, cuiquam præterea concessam: Quam quidem prærogativam qua sola Episcopi erant superiores, commentario in epist. ad Titum non Dominicæ institutioni seu juri Divino, sed meræ Ecclesiæ consuetudini tribuit. Nec plus est præsidii in Chrysostomi loco desumpto ex Homil. 11. in 1. ad Timoth. τὴν χειροτονίαν μόνην αὐτῶν ἀναβεβήκασι καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους: quorum verborum volunt sensum esse, *Episcopos jure ordinandi Presbyteros sibi peculiari superiores esse Presbyteris.* Sed an potiùs hic sensus est? *Quod Episcopi sint superiores Presbyteris, id debere χειροτονίᾳ seu electioni Presbyterorum, qui eum è suo cœtu elegerunt.* Verùm, quod consentaneum est, demus, mentem Chrysostomi fuisse, Episcopos superiores esse Presbyteris potestate ordinandi, quæ Presbyteris non concessa est; dicendum nihil plus eo nomine attribuere Episcopis quàm fecit Hieronymus. Quid quod verisimile est, verbis quæ subnectit Chrysostomus, hoc ordinandi jus in fraudem Presbyterorum usurpatum ab Episcopis: credibile enim est Chrysostomum per πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους intellexisse

tellexisse μεθοδεύειν, quod est circumvenire,ut amplius quam per æquum & justum licet in Presbyteros sibi arrogarint Episcopi : nec repugnat textura loci ; etenim postquam Chrysostomus paulo ante dixit, quæ Paulus capite tertio Epist.ad Timoth. de Episcopis dixit, eadem & Presbyteris convenire, & perinde docendi ac præsidendi munus utrisque competere ; apta ac naturali connexione, subjicit nihil detrahi ab Episcopis de Presbyterorum jure, per quod fiat illis injuria, & obstet quo minùs Pastores sint æquales, quàm potestas quam in se solos assumunt ordinandi. Hanc interpretationem omnino admittit verbum πλεονεκτεῖν, quod Salmasius ait græcis interpretari ἐπὶ τῶν παρὰ τὸ δίκαιον ἔχειν ἀξιούντων, *De his quæ præter æquum, bonum & justum, quàm fieri lege licet capere conantur*; idque potissimum junctum cum accusativo significat obstare alicui & injuriam facere, ut πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους sit injuriâ afficere Presbyteros, at πλεονεκτεῖν τῶν πρεσβυτέρων sit πλέον ἔχειν, potiorem esse conditione Presbyteris,ut ait Suidas.

Secundò dixeram jus ordines sacros conferendi & manus imponendi Presbyteris, non pertinere ad Episcopos, quatenus Episcopos & habentes προστασίαν in Presbyteros, sed quatenus ipsi sunt Presbyteri ; Jusque χειροθεσίας habere ratione Presbyterii, non ratione Episcopatus:cujus assertionis veritas pendet maximam partem,tum ex proximè dictis, tum ex iis quæ supra astruximus

mus circa Episcoporum & Presbyterorum identitatem. Nam si Christus & Apostoli, nisi unum genus Pastorum instituerunt in Ecclesia, planum est ordinationem non posse conferri Pastori, nisi ab aliis Pastoribus ejusdem ordinis & gradus, cum ordine & gradu conferendo: sed & quanquam affirmarem cum Episcoporum ὑπεροχῆς patronis, Episcopos Divina & Apostolica institutione, ut gradu, sic officiis distinctos esse à Presbyteris: attamen quia ipsis fatentibus & ipsi Episcopi sunt Presbyteri pertenderem, quandocunque Episcopus ordinat Presbyterũ, id agere quâ Presbyter, non quâ Episcopus. In naturalibus animans generat specie & qualitatibus essentialibus, & partibus integrantibus, plane sibi simile; ut accidit in omnibus generationibus univocis; veluti homo hominẽ, & equus equum generat. In civilibus Doctor Doctorem, & medicus medicum, & faber fabrum creat; sic in Theologicis, putà, in ordinatione, quæ habet aliquid affinitatis cum generatione naturali & creatione munerum civilium, fit processio unius ab altero secundum naturæ similitudinem; vel fit collatio ejusdem gratiæ & juris quo conferens prius erat præditus; veluti quando lumen de lumine accenditur: Quæ quidem inserviunt illustrandæ nostræ assertioni: Episcopus quandocunque consecrat vel creat Episcopum, id facit quâ Episcopus, & προστασίαν communicans cum altero; At quando ordinat Presbyterũ, cum nihil ὑπεροχῆς suæ impertiat

niat Presbytero, necesse est quod de se Episcopus promit, seu quod est Presbyteralis muneris communicet, ac proinde quâ Presbyter ordinet Presbyterum. Sic ergo statuere debent in ordinatione Presbyteri; Episcopi munus concurrere tanquam causam æquivocam, quæ sola non sufficiat; Presbyteri verò officium seu, ut vocant, characterem, concurrere tanquam univocam, quæ sola sufficiat. Atque hæc dicta sunto posito, sed non concesso ὑπεροχὴν Episcopalem in Presbyteros, esse Divinæ & Apostolicæ institutionis: Nam Episcopi & Presbyteri muneribus in unum confluentibus extra dubium est, unicam tantum esse χειροθεσίαν in ordinatione Pastorum quæ à Presbyteris fit. Id agnoverunt celeberrimi quiq; Pontificiorum, Aquinas & Cajetanus. Ille in 1. ad Timoth. cap. 1. dicit manuum impositionem illorum tantùm esse qui sunt Ministri Christi, *fuisse autem duplicem, aliam quæ à Presbyteris fiebat, aliam quæ a Diaconis:* Nec procul absunt Patres; volunt enim χειροθεσίαν a Sacerdotibus peragi; nomine sacerdotum, tam Episcopos quàm Presbyteros intelligentes. Hic non possum non mirari magnam Iscani ἀβλεψίαν, qui locum Theophylacti à me allegatum, *Aspice rem mirandam, quantum possit impositio sacerdotalium manuum*, ut probarem χειροθεσίας munus perinde pertinere ad Presbyteros atque ad Episcopos; interpretatur quasi per Sacerdotum manus, Episcopi manus intelligerentur, *Quis* (inquit)

Patrum

Patrum scripta vel à longè salutavit, qui nesciat Sacerdotum nomine, Episcopos designari. Sed secus est: nam quisquis Patres de limine tantùm salutaverit; compererit per *Sacerdotes* intelligi tam Presbyteros quàm Episcopos. Cyprianus epist. 68. *Plebs maximè habet potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi:* subjicit, de Divina esse authoritate, *ut sacerdos Plebe præsente sub omnium oculis deligatur.* Et paulo post, *coram omni Synagoga jubet Deus constitui sacerdotes, id est, instruit & ostendit non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere.* Et Ignatius ad Heronem (etsi supposititia, antiqua tamen est, & ad rem præsentem facit) μηδὲν ἄνευ τῶν ἐπισκόπων πράττε, ἱερεῖς γὰρ εἰσι, *Nihil sine Presbyteris facito, etenim sunt sacerdotes*; ubi planum est, per Episcopos in plurali numero denotari Presbyteros, ut qui ad Diaconum scribit; subjicit enim, *Tu es sacerdotum Minister; baptizant, manus imponunt; tu verò illis ministras.* Perperam sanè Tertullianus loco citato, Episcopum vocaret summum sacerdotem, si omnis sacerdos esset Episcopus. Gildas non semel à nobis supra allegatus, loco proximè citato, per sacerdotales manus, vel Presbyteriales intelligit, vel saltem ad solas Episcoporum manus non restringit: etenim toto opere suo, nomine sacerdotum semper intelligit Presbyteros & Episcopos conjunctim sumptos. Quin, uno aut altero loco id nominis solis Presbyteris attribuit; Rabanus Maurus tom. 6. lib. 1. de institutione

tutione Clericorum dicit Presbyteros vocari ſacerdotes. Quid quod vox *ſacerdotis*, non tantùm omnium eſt promiſcuè Paſtorum, ſed & omnium fidelium; nec unquam qui ad Presbyteri βάθμον deſcendere dedignati ſunt, quicquam de ſua dignitate imminui exiſtimarunt, ſi ſacerdotibus annumerarentur. Paulinus epiſt. 16. ad Delphinum dicit cum Romæ eſſet delatum ſibi Preſbytero à Papa Anaſtaſio, *quod ſolet conſacerdotibus ſuis, ut invitaretur ad natalem ſuum.* Idem epiſt. 6. in una pagina dicit ſe *Presbyteratu initiaſſe, & ſacerdotem factum.* Ergo per ſacerdotales manus intelliguntur manus quibus munus ordinandi incumbit, ſive ſint Epiſcopi, ſive Presbyteri; ſine quibus Hieronymus contra Luciferianos dicit, *ubi non eſt ſacerdos non eſt Eccleſia*; hoc eſt, ubi non eſt ordinans; ſic enim interpretatur Archiepiſcopus Laudus Relat. pag. 176. in hoc tamen deceptus, quòd per ordinantem non alium intelligit quàm Epiſcopum.

Tertium quod circa ordinationem aſſerueram in mea Epiſtola, nempe praxim Eccleſiæ fidem facere, tam Epiſcopum quam Presbyteros manus imponere μέλλοντι Presbytero, notius eſt quàm ulteriori probatione indigeat. Sed antequam huic longiori quam putaram tractationi de ordinatione finem imponam; aliquot mihi ſunt verba commutanda cum Iſcano: ridet inſcitiam meam, quaſi dixerim ante annum 308. ſolenne fuiſſe Presbyteris ordinare Presbyteros; At non

ſimpliciter, quod debueram, ſed tantùm dixi, conjicere licere, Presbyteros ſibi hanc licentiam uſurpaſſe, ut abſque Epiſcopo ordinarent, ex Decretis Synodi Ancyrani; etenim Can. 13. Chorepiſcopis & Presbyteris civitatis interdicitur ordinare, niſi munitis literis ab Epiſcopo; & meritò licuit hoc, non tantùm ſuſpicari, ſed & aſſerere; nam quorſum Synodus legem tuliſſet, in quam nemo hactenus contraiviſſet, Canon integer hic eſt, χωρεπισκόποις μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους ἢ διακόνους χειροτονεῖν, ἀλλὰ μὴν μηδὲ πρεσβυτέροις πόλεως χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ. *Chorepiſcopis non licere Presbyteros aut diaconos ordinare; ſed nec Presbyteris civitatis ſine præcepto Epiſcopi & literis in unaquaque parœchia.* Sed & hoc fidem facit, quod dicit Ambroſ. in Epheſ. 4. & Auguſtinus lib. Quæſtionum ex utroque Teſtamento, factitatum in Alexandria & Ægypto, ut Presbyteri conſignarent & conſecrarent, ſi nullus adeſſet Epiſcopus; ubi per verba conſignandi & conſecrandi intelligenda eſt ordinatio, quâ publicè Presbyteri & Diaconi initiabantur ſacro Miniſterio: Adde quòd, ſi licuit Presbyteris, ut Hieronymus dicit factum in Alexandria, Epiſcopum à ſuo cœtu eligere, quod de ἐνθρονισμῷ intelligendum, nullâ à quoquam Epiſcopo χειροθεσίᾳ accedente; quanto magis fas eſt Preſbyteris ſolis, ſalvâ humanâ εὐταξίᾳ Presbyteros ordinare?

Hactenus de ordinatione, quæ præcipuum eſt

jurisdictionis

jurisdictionis Episcopalis membrum & ornamentum: Placuit tamen Rever. Hallo de jurisdictione seorsim agere. Iscanus dicit pariter me erraſſe, cum de jurisdictione egi: *Non arripiunt* (inquit) *Episcopi illam sibi, nec exercent soli*: Et paulo post, *Nos non fingimus Monarchicum Ecclesiæ moderamen, sed planè Aristocraticum.* Aut non fui compos mentis, aut hisce oculis legi planè contrarium in libro R. Halli. Ille enim postquam Part. 2. sect. 15. de ordinatione egisset, cujus conferendi potestatem solis Episcopis ascripsit; postmodum de jurisdictione sermonem instituens, sect. 16. dicit potestatem jurisdictionis evidentioribus demonstrationibus ad Episcopos pertinere, quàm quæ pro ordinatione attulerat: In quam rem multus est testimoniis & probationibus ex canonibus antiquis petitis, ut astruat, actus quoslibet jurisdictionis Ecclesiasticæ, veluti correctionis, excommunicationis & exauctorationis, ad solum Episcopum pertinere; nulla ne minima quidem facta Presbyterorum mentione; tantùm abest ut concesserit aut affirmarit Presbyteros in dictorum actuum exercitio cum Episcopo operam partitos fuisse: Quod si Rever. Hallus credidit, Presbyteris suas partes fuisse, cur id conticuit? Aut si hoc solum voluit asserere, Episcopo primas tantùm partes datas fuisse in Ecclesiasticæ disciplinæ administratione; quorsum operose desudasset in probatione rei quæ nullum habet contradicentem?

 tradicentem?

tradicentem? nemo enim est vel infensissimorum ὑπεροχῇ Episcopali qui id nesciat, aut ultro non agnoscat. Sed verò consentaneum est, ut quod dixi in ordinatione, sic in cæteris actibus jurisdictionis, plus contulisse veteres Canones in Episcopum, quam oportuit, hominem solâ πρωτοκαθεδρείᾳ superiorem suis collegis. Porro ut nulla est tam densa nubium caligo, quam sol non penetret aut dissipet; sic veritate obstantia perrumpente, non ita sibi constant canones pro Episcoporum jurisdictione, nec tanta fuit Episcoporum veterum usurpata potestas, quam à Presbyterorum cœtu in se transtulerant, quin subinde ex aliis canonibus & praxi Ecclesiæ atque Patrum testimoniis appareat, suam quoque fuisse Presbyteris jurisdictionem, quam cum Episcopo communi consensu exercebant; ut nec Episcopus sine Presbyteris, nec Presbyteri sine Episcopo quicquam in gravioribus actibus disciplinæ Ecclesiasticæ exequendis moliri possent. Si canones & Patres jubent, ut nihil Presbyteri faciant ἄνευ γνώμης ἐπισκόπου: vicissim quandoque aliis canonibus decernitur, ne quid Episcopus agat absque consensu Presbyterorum. Et canon quartus Concilii Carthaginensis IIII. declarat irritam esse sententiam Episcopi quæ præsentia clericorum non confirmatur; & Ignatius epist. ad Trallianos vocat Presbyteros, συνέδριον θεοῦ, καὶ σύνδεσμον ἀποστόλων χριστοῦ. Ibidem dicit Presbyteros esse

συνεδρευτὰς

συνέδρους τοῦ ἐπισκόπου, *consiliarios & assessores Episcopi.* Cyprianus subinde inculcat se nihil absque consilio & consensu Presbyterorum agere. Quod si Patres populum jubent obedientiam Episcopo exhiberi; itidem requirunt Presbyteris obsequium deferri. Ignatius epist. ad Ephes. ἀγαπητοί, &c. *Dilecti, subjecti estote Episcopo & Presbyteris*; & passim alibi. Polycarpus epist. ad Philipp. *Subjecti estote Presbyteris & Diaconis.* Irenæus lib. 4. cap. 43. *Oportet eis qui in Ecclesiâ sunt obedire Presbyteris, &c.* In regimine Ecclesiæ, Presbyteris suæ fuerunt partes. Chrysostomus in 1. ad Timoth. Homil. 11. dicit *Presbyteros, munus docendi & præsidendi simul accepisse*: & Hieronymi illud maximè urit, *communi Presbyterorum consilio Ecclesiam gubernatam fuisse*: quem locum Gratianus videtur in sua decreta intulisse, causa 16. cap. *Ecclesia*, De consuetudinibus sæculi, *Ecclesia habet senatum Presbyterorum, sine quorum consilio Episcopis nihil agere licet.* Ideo ab August. epist. 137. vocantur *Episcoporum Collegæ.* Longum esset instare in omnibus actibus Ecclesiasticæ disciplinæ administrandæ, in quibus partes suas Presbyteros habuisse cum Episcopis, fidem facit historia Ecclesiastica, & Patres testantur. Refert Cyprianus epist. x. postquam peccatores justo tempore pœnam egissent, *accepisse jus communicationis per manuum impositionem Episcopi & cleri*; unde patet reconciliationem pœnitentium non tantùm Episcopo, sed & Presbyteris concreditam

tam. Euſebius lib. 6. cap. 43. narrat, Serapionem lapſum & adhuc pœnitentiam agentem, cum in gravem & deſperatum morbum incidiſſet, abſolutionem à Presbytero accepiſſe: Cujus rei duo inſignia habet exempla Concilium Toletanum can. 11. & 12. Sic cum Maximinus, Urbanus, Sidonius, & Macarius Presbyteri, qui cum aliis nonnullis ad ſchiſmaticos defeciſſent, in Eccleſia recipi poſtulaſſent; Cornelius Epiſcopus Romanus curavit *Presbyterium convocari, ut firmato conſilio, quod circa perſonam eorum obſervari debeat, conſenſu omnium ſtatueretur*: ut videre eſt Epiſtolâ 46. inter epiſt. Cypriani; Inter quas etiam reperitur Epiſtola quæ eſt 31. Presbyterorum & Diaconorum Romanorum ad Cyprianum, in quâ ſic loquuntur, ut palam faciant ſe non res Eccleſiæ adminiſtrare precariò: & in lapſorum cauſa dicunt ad Eccleſiæ pacem ſuſtinendam *factam collationem conſiliorum cum Epiſcopis & Presbyteris*. Ipſe Cyprianus epiſtola 52. & paſſim alibi loquitur de ſimili collatione facta cum Epiſcopis & Presbyteris. Denique Patres fere uno ore pronuntiant, non modò Epiſcopum, ſed & Presbyterum ex officio ligare & ſolvere. Diſerti ſunt, Hieronymus lib. 3. in Matth. & Baſil. Magnus in Aſceticis. Hic affirmat eandem datam poteſtatem quâ Petrus præditus erat, Paſtoribus & Doctoribus, cujus ſignum id ſit, τὸ δεσμεῖν ἅπαντας ὁμοίως καὶ λύειν ὥσπερ ἐκεῖνος. Quem locum reponit, ſed verbis parum immutatis,

Lombardus

Lombardus ſentent. lib. 4. diſtinct. 19. ſect. *aliis. Aliis autem videtur quod & mihi placere fateor; cunctis ſacerdotibus hanc clavem dari, ſcilicet ligandi & ſolvendi.* De Presbyterorum poteſtate δογματικῇ in Synodis ſuperiùs egimus. Quod dicit Iſcanus, *non fingimus moderamen externum Monarchicum, ſed planè Ariſtocraticum*, omninò verum eſſet, ſi in Anglia ſinguli Epiſcopi qui ſuæ particulari Diœceſi præſunt, omnium Diœceſeωn curam & regimen in commune ſuſciperent: At cum raro Epiſcopi extra Diœceſim ſuam vagentur, & domi legibus ſoluti & ἀνυπευθύνως gubernent Diœceſim ſuam, nec ullos aſſeſſores habeant Presbyteros, quibus jus ſit dicendæ ſententiæ; dicerem regimen Epiſcoporum, non conjunctim, ſed diviſim ſumptorum Monarchicum eſſe; niſi per comitia tertio quoque anno convocanda, ſapientiſſimus Rex torrenti eorum juriſdictionis ſufflamen objeciſſet. Doctiſſimus Whitakerus docebit nos, cujus regiminis formæ participes ſint Eccleſiæ controverſ. 4. quæſt. 1. cap. 1. *Eccleſiarum regimen ſi Chriſtum reſpicimus, Monarchicum: ſed ſi Preſbyteros, qui in doctrina & diſciplina partes ſuas agunt, Ariſtocraticum; ſi totum corpus Eccleſiæ quatenus in electione Epiſcoporum & Presbyterorum ſuffragia fert, (ita tamen ut εὐταξία ſemper à Presbyteris obſervetur) Democraticum; Sic partim Ariſtocraticum, partim democraticum; partim etiam Monarchicum fuit Eccleſiæ regimen.* 1. Aſtipulatur Zanchius de ſtatu peccati & legali in 4. præceptum:

ceptum: *Respectu Christi & Dictatoris nostri. Regnum & Monarchia est; respectu Pastorum & Presbyterorum, Doctorumque, adde Principum piorum, Aristocratia: respectu verò plebis totiusque populi, Democratia.*

Paragrapho duodecimo & ultimo nihil video in Iscano, quod tantillum debilitet veritatem eorum, quæ pro Laico Presbyteris ex Scriptura, ratione & authoritate firmamenta, attuleram. In limine dicit se nullo modo refragari, si Seniores-Laici faciant partem senatus Ecclesiastici, & unaquæque Respublica eam sibi statuat regiminis Ecclesiastici formam, quæ paci publicæ conducere visum fuerit; modò tamen hic administrandi modus non obtrudatur pro causa Dei, & unico Christi regno & necessario: Quibus sanè Iscanus tantum concedit quantum velim; nam, tametsi crediderim juris esse Divini, ut primores de plebe faciant partem senatus Ecclesiastici; non tamen ita necessarium putarim, ut ea non censenda foret Ecclesia, à cujus senatu Ecclesiastico Laici arcerentur: Nec Episcoporum Patroni, neque ipse Rev. Hallus, quanquam pertendunt Episcopatum esse juris Divini, majorem in Episcopis retinendis in Ecclesiâ necessitatem imponunt; ut qui in ea sunt sententia, Ecclesiis reformatis extra Angliam quæ Episcopos non habent, nihil deesse ad essentiam veræ & visibilis Ecclesiæ: Sed mox Iscanus quod porrexerat retrahit, negatque quicquam præsidii

in

in Scripturis inveniri quod Laico-Presbyteris faveat : Attuleram locum Act. 15. *Visum est Apostolis & Presbyteris & toti Ecclesiæ*; quem dicit adversus me pugnare; neque enim posse Laico-Presbyteros sub *totâ Ecclesiâ* includi, nec paucos discipulos dici, esse totam Ecclesiam; post modùm tamen concedit, præcipuos è grege viros, posse in consilium vocari & res Ecclesiæ curare; plus enim videre oculos quàm oculum : sed mox sui oblitus, ita parum sibi constat, dicit ab omni Theologia abludere, ut regimen Ecclesiæ, Laicis manibus committatur. At bone vir, nihil horum dixi, sed id tantùm quod tu concedis. *viz.* Laicos in regimine Ecclesiæ posse vocari in consilium, & cum Pastoribus operam sociare : Quos quidem Laicos seu primores de plebe Christiana, existimo intelligi per *totam Ecclesiam*; neque enim potuit universus cœtus Christianorum qui tunc erant Hierosolymis, cum Apostolis, convenire in unum locum. Subjunxeram alium locum ex capite 14. v. 23. *Apostoli in unaquaque Ecclesia ordinarunt Presbyteros per suffragia.* Quid ad hæc Iscanus? *Quid? nunquid Laicos? nemo sapiens dixerit: Hæccine erat Apostolorum cura, ut Laicos instituerent adjutores?* quasi eo loci usus fuissem, ut probarem Laico-Presbyteros fuisse ab Apostolis institutos, & Presbyteros, de Laicis intellexissem. At cuicunque mica est sensus communis, colliget ex contextu, à me hunc locum allegatum, ut patefacerem

rem hos Presbyteros ordinatos fuisse per suffragia plebis; adeoque plebem Christianam, vel selectos ex eâ viros, actus Ecclesiasticos exercuisse tempore Apostolorum. In eundem finem allegaveram electionem septem Diaconorum, factam à turba Discipulorum; quos quidem Discipulos dixeram non omnes fuisse Presbyteros; alioquin Tabitham quæ discipulis accensetur, Presbyteram fuisse: contra hæc Iscanus, nescio quorsum navigat Anticyram? & quid de Oedipo garrit? dicitque hanc prodigiosam esse Theologiã asserere plebem Christianam debere se immiscere Ecclesiæ gubernationi; cum tamen ipse, hocce paragrapho non semel assentiatur plebem Christianam, vel selectos ex ea posse in consilium vocari ad deliberandum in gravissimis quibusque Ecclesiæ negotiis: Hoc tamen unum constanter negat, selectos ex plebe viros seu seniores stato ordine debere cum Pastoribus clavum tenere Ecclesiæ, & cum illis pariter curam animarum suscipere: sed non video, quid impedit quo minùs hi Seniores non possint admitti ad consultandum perinde in rebus minoris momenti, ac licet in gravissimis? aut cur non æque omni tempore, ac aliquando? quandoquidem quicquid in se assumunt Laico-Presbyteri toto provinciæ suæ decursu, non extenditur ultra id quod pro tempore conceditur, & integrum erat Africanis Senioribus. Quod rogant, edant, in novo Testamento Apostolos instituisse Laico-

Presbyteros,

Presbyteros, perinde absurdum est ac si postularem mihi dari locum quo Deus disertis verbis dicit, velle se, ut aliqua in terris extet plebs Christiana; aut præsupposito plebem Christianam juberi à Deo satagere regiminis Ecclesiæ, quo præcipit ut plebs Christiana adhibeat ad regimen Ecclesiæ Laico Presbyteros; quove Scripturæ loco id regiminis approbetur: concesso enim plebem Christianam præcepto Divino teneri operam partiri cum Pastoribus suis ad Ecclesiæ administrationem; concidit tanquam futilis hæc quæstio; Deus enim jubendo plebem Christianam, ut eligat Pastores idoneos; caveat sibi à Pseudo-prophetis; scandalis eat obviam; censuras Ecclesiasticas infliget; exploret omnia, & arctè teneat quod optimum est: non explicitè & expresse designat quibus modis quâve ratione id agere debeat; sed de circumstantiis confidit plebis Christianæ prudentiæ, quæ vix sciens potuit errare, & tantum aberrare à recto usu rationis, quantum fingunt qui naso suspendunt Laico-Presbyteros: Quos quidem, seu selectos de suo grege viros, commodum putavit plebs eligere qui suo nomine res Ecclesiæ pertractarent, & in quos id curæ rejicerent: Sic planè censendum Concilio Apostolorum, de quo Act. 15. non totam plebem quæ Hierosolymis erat, sed viros è grege præcipuos interfuisse; quos sive Seniores, sive Laico-Presbyteros voces, parum attinet, modò de re constet.

Argumenta in ratione fundata intacta relinquit Iſcanus; utcunque arcem cauſæ invadant, & ultro invitos ad noſtras partes trahant. An cenſebitur prodigioſum & pugnans cum Theologiâ, adeoque cum rectâ ratione, ut quis conſtituatur inſpector rerum ſuarum? An Eccleſia ſeu ſponſa Chriſti quæ maximâ ſui parte ex plebe Chriſtianâ conſtat, cui teſte Auguſtino tract. in Johannem 10. & lib. de doctrinâ Chriſtianâ cap. 18. commiſſæ ſunt claves Eccleſiæ, operam ſedulam non navabit, ut fideles ſortiatur Paſtores, ac certo regimine atque idoneis legibus aſtringatur. Aut quî poterit ſancta harmonia ſervari inter paſtorem & gregem, niſi mutuo amborum conſilio & conſenſu, diſciplina Eccleſiaſtica ſarta & tecta conſervetur? Aut ſi Paſtores omnes, malæ fidei ſunt ὁδηγοὶ, abducuntque gregem à verâ fide; quî poterit plebs Chriſtiana corruptionis gnara, malum avertere, ſi nullas habet partes in regimine Eccleſiæ? Aut quid juvat plebi Chriſtianæ juberi, ut diſcernat genuinos Doctores à ſeductoribus; alienum non ſequatur; anathemate feriat eos qui aliud Euangelium prædicant, præter id quod ab Apoſtolis annunciatum eſt; ſi Paſtores qui ſunt rei, judicis & actoris partes agunt, nec quiſquam de plebe ſedet judex in foro Eccleſiaſtico? Forſan arceantur Laici ab hoc foro, quia ſolis Epiſcopis & & Presbyteris relicta eſt ἄνωθεν σοφία, ut quidam volunt, quaſi ſimul ac homo initiatus eſt ſacris,

iis

iis ſit inſtructus donis ad doctrinam & regimen requiſitis, quibus nemo Laicorum aptus ſit; quantumvis ſit ingenio à natura ſubacto, & cultura eruditionis eximiæ ſtudio acquiſitæ, ornatus ſit. Qui quidem faſtus Phariſaicus augetur diſtinctione vocum in Clericos & Laicos, quaſi ſoli Epiſcopi & Presbyteri eſſent portio & hæreditas Domini, cum tamen 1. Pet. 5. v. 3. vox κλήρȣ propriè de plebe Chriſtiana dicatur: Id debemus Paſtorum Eccleſiæ Romanæ artibus, quòd Laici amoti fuerint à gubernatione Eccleſiæ; his enim cum aſſuefecerint plebem credere Paſtorum fide, ut jam perſuaſa ſit Paſtorem pro ſe reſponſurum in die judicii; facilè curam Eccleſiæ ad ſe ſolos traxerunt, & habuerunt ſequaces Laicos, ultro reponentes id oneris in ductoribus ſuis. Pueris notum eſt Deum & naturam prius ad totum ſuppoſitum quàm ad aliquam partem quamvis nobiliſſimam intendere: ſic facultas videndi non data eſt propter oculum, ſed propter totum hominem; hoc ſi eſt, non video quî plebs Chriſtiana propter quam & à quâ Paſtores ſunt inſtituti, non poterit ex ſe ſeligere viros idoneos, qui Paſtores onere ſublevent, & eos actus exerceant, qui non pertinent ad prædicationem & ſacramentorum adminiſtrationem? Paſtores autem à Deo inſtitutos propter plebem Chriſtianā dicit Paulus Apoſtolus 2. ad Corinth. ca. 3. v. 21, *Omnia veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Cephas, omnia veſtra ſunt*: innuens non admittendos eſſe

Doctores, nisi qui à plebe Christiana approbantur; siquidem in gratiam Ecclesiæ admittuntur. Tum cujus nomine & authotitate fit executio potestatis & jurisdictionis Ecclesiasticæ in vocandis & eligendis Ministris, in solvendis & ligandis peccatis; illius potestas & jurisdictio est in primario & proprio subjecto; ac proinde illius est, servato decore & εὐταξίᾳ, istos actus Ecclesiasticos exercere, vel per se, vel per delegatos: quod quidem & non ultra Laico-seniores tantoperè explosi sibi vendicant: non tamen suo, sed totius gregis nomine. Porro cum Ecclesia Judæorum habuerit suos Seniores, qui membra erant senatus Ecclesiastici, quique nec Levitæ, nec Sacerdotes erant, ut ipse Saravia agnoscit, & cum Sacerdotibus considebant, & vocabantur πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ; ut videre est Matth. 16. v. 21. & cap. 21. v. 23. necnon Actorum 4. nulla ratio est, cur Christiana Respublica suos quoque Seniores non habebit? Aut cur non licebit plebi Christianæ quod olim licuit toti congregationi, Numer. 8. vers. 9, 10, &c. in purificatione & sanctificatione Levitarum? Sed quod maximè vim facit adversariis; Ipsi qui negant Laicis locũ in privatis Synedriis Presbyterorum, primas sessiones concedunt Episcopis in publicis Laicorum conventibus. Et quod magis absonum est; Qui assentiuntur fas esse Laicis in publicis regni comitiis sedentibus, agitare res ad Ecclesiam pertinentes, atque de iis judicare; iidem Laicos

excludunt

excludunt à Presbyteriis. Nec minùs abhorret à recta ratione quòd cum Synodus convocata ex tota Anglia, nihil possit decernere quod vim legis habeat, nisi ratum habeant Laicorum deputati ex toto regno in publicis comitiis congregati; in privatis tamen cœtibus Ecclesiasticis & Synedriis, idem privilegium & jus non concessum sit; ut quicquid in eis decernitur priùs assentientes habeat, vel totum gregem vel à grege deputatos, quos Seniores vocamus, quam ad ejus obsequium obliget. In hanc rem sæpe subiit mirari, cum administratio Ecclesiæ visibilis propiùs ad Democraticum regimen accedat, quod nemini de plebe Christiana ad ejus gubernationem liceat operam suam conferre, quam tamen in reipublicæ administratione locare solenne est minimo de plebe, etiam in iis regionibus quæ Monarchæ subsunt; cujus rei fidem facit Senatorum ad publica comitia delegatorum electio, in quâ χειροτονία, unusquisq; jure civitatis gaudens, habet jus suffragii: An credibile, plus curæ adhibendum politico regimini quàm Ecclesiastico, ut illi pluribus, huic verò paucioribus capitibus, opus sit?

Præsidia ex Patribus petita eodem pede, hoc est sicco, transit Iscanus; imitatus Rever. Hallum, qui alio opere hos tibicines putat diruisse, contentus omnia fere recitasse loca, quæ ex Augustino, Optato, & Africanis canonibus à nostris proferri solent: quæ tamen si singula ponderarentur,

rentur, abunde probant olim Laicos fuisse adjunctos clero in regimine Ecclesiæ. Ipse Rever. Hallus fatetur extitisse olim *Seniores Ecclesiasticos:* sed ita eos extenuat, ut vix Æedituis æquet. Sanè Senatus Ecclesiasticus de quo Origines contra Celsum lib.3. quem dicit esse compositum ex singularum civitatum Senatibus; & Seniores illi & Magistratus, qui cum Donatistarum Præpositis in unum locum conveniebant; ut & Seniores de quibus Augustinus enarratione in Psalmos, & lib.3. contra Cresconium, non possunt detrudi ad tam ima subsellia; ut nec illi Seniores de quibus in canon. 100. African. Ecclesiæ: *Cum requisiti sunt Seniores à nova Germania secundo ac tertio, & non sunt inventi quibus præceptum erat à primatu, ut occurrerent ad venerabile Concilium.* Gregorius epist. lib. 11. indictione 6. cap. 49. vult *causas clericorum non agi, nisi cum senioribus Ecclesiasticis.* Si clerici causa judicanda est coram laicis; quanto magis, laicis citatis comparere in Synedrio Ecclesiastico, requiritur ut laici istius Synedrii partem constituant; Intelligit autem de illis senioribus qui non sunt de clero; quod & docet, quòd paulo ante dixerat de non ordinando Tabellario absque consensu *Seniorum & cleri.* In actis purgationis Cæliciani & Felicis, eo ordine recensentur Ecclesiastici ordines, *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Seniores*; qui quidem Seniores constituebant partem Senatus Ecclesiastici, & perinde ac reliqui de clero adhibebantur

bebantur ad conſultandum & deliberandum; additur enim paulo poſt, *adhibete conclericos & Seniores plebis, Eccleſiaſticos viros*; ibi enim diſertè, utcunque diſtinguantur à clero; attamen includuntur pariter ac clerici Eccleſiaſticis viris, coram quibus Cælicianus & Felix comparere debebant. Eludunt quidam vim loci authoris commentarii ſub nomine Ambroſii in 1. epiſt. ad Timoth. c. 5. *Synagoga, & poſtea Eccleſia ſeniores habuit, quorum ſine conſilio in Eccleſia nihil agebatur, &c.* utcunque pugnet ſatis viriliter pro Laico-Presbyteris; dum volunt Seniores dici de ipſis Presbyteris ſeu Paſtoribus infra Epiſcopos conſtitutis; ut mens Ambroſii ſit, Epiſcopos olim nihil egiſſe ſine communi Presbyterorum conſilio; ſed lapſu temporis, ſeu per deſidiam Preſbyterorum, ſeu per ambitionem Epiſcoporum, amotos fuiſſe Presbyteros ab Eccleſiaſtico Senatu, & Epiſcopos ad ſe ſolos traxiſſe cognitionem actuum Eccleſiaſticorum: Sed hanc eſſe loci interpretationem genuinam, vix crediderit qui nouerit, tempore Ambroſii, quanquam Epiſcopi potiores in regimine Eccleſiæ partes haberent, nondum tamen morem obſoleuiſſe, ut nullas omnino Presbyteri haberent. Alii, neutro modo interpretantur Ambroſium, è quorum numero eſt Rever. Hallus qui declinaturus ictum iſtius loci, quem, ut loquitur, tantopere oſtentant defenſores nuperi commenti Allobrogici, Seniores, ait, dictos ab ætate, non ab officio; Dubium

tamen, an velit hos Seniores fuisse Presbyteros, an verò Laicos: ut ut sit, affirmat fuisse Theologos senio venerandos; quasi incongruum & insolens fuerit ut juniores Theologi ad consultandum Episcopo adjungerentur; dicit enim hosce Seniores non fecisse partem Synedrii Ecclesiastici, sed accersitos pro re natâ ab Episcopo; At sanè, planè contrarium admittit sensus loci: duo enim dicit. 1. Quemadmodum Synagoga Judæorum habuit suos Seniores, qui non erant Sacerdotes, quique faciebant partem Synedrii; sic postmodùm Christianam Ecclesiam habuisse præter Pastores Ecclesiæ, Pastorum assessores, seu primarios de plebe, qui cum Pastoribus communi consilio regebant Ecclesiam. 2. Hosce Seniores neque precariò, neque aliquoties tantùm, Pastoribus adjunctos fuisse, sed perpetuam cum Pastoribus vel Episcopo operam sociasse in rerum Ecclesiasticarum administratione, nec quicquam sine eorum consilio, in Senatu Ecclesiastico transactum fuisse: Debile est quod Rev. Hallus præterea affert, ut huic loco suam fidem detrahat; ait, eò loci non affirmari, *sine Seniorum authoritate quicquam transactum non fuisse*; *sed tantùm dici, sine eorum consilio*: velim enim mihi aperiat quæ fuerit mens Hieronymo, cum dicit, *olim Ecclesiam communi Presbyterorum consilio gubernatam fuisse*, nisi hæc; nempe, & consilio & authoritate suâ Ecclesiam gubernasse: Ipse R. Hallus part. 2. sect. 16. probaturus jurisdictionis

præ-

prærogativam, penes ſolum Epiſcopum eſſe, docet ex Conciliis & Patribus, Presbyteros, nihil actuum Eccleſiaſticorũ exercuiſſe ſine conſilio & conſenſu Epiſcopi, ἄνευ γνώμης ἐπισκόπου· inde tamen non puto velle confici, in exercitio juriſdictionis Eccleſiaſticæ, Epiſcopi authoritatem non fuiſſe interpoſitam. Non multùm officit Laico Senioribus, quòd Rever. Hallus alio opere dicit, locis à nobis allegatis pro inſtitutione Laico-Presbyterorum, Diaconos præponi Senioribus: ſed id non mirabitur, qui ſcit tempore Hieronymi, Diaconos fuiſſe Presbyteris prælatos, ipſo dicente: *Diaconos paucitatem honorabiles, Presbyteros turbam contemptibiles facere.* Quid quod a Paulo videntur præponi Senioribus, 2. Corinth. 12. v. 28. ubi inter Chariſmata, ſexto loco ἀντιλήψεις quæ ſunt Diaconi; κυβερνήσεις verò quæ ſunt Seniores ſeptimo loco recenſentur. Theophylactus ex Chryſoſtomo hæc duo χαρίσματα, interpretatur de iis *qui ſubveniunt infirmis & diſpenſant quæ fratrum ſunt.* Quid quod, non ubique verum eſt, Seniores ſemper in ultimum rejici locum; nam citato loco ex Gregorio, clerus poſtponitur Senioribus; Et Firmilianus Cæſar. Cappadox, qui & militat fortiter pro Paſtorum ἰσοτιμίᾳ & poteſtate baptiſandi, manus imponendi, & ordinandi, ad omnes Paſtores ex æquo pertinente; Epiſtola 75. quæ eſt inter Cypriani Epiſtolas, loquitur de Senioribus & Præpoſitis in unum conveniendis per ſingulos annos; ſub quâ quidem voce,

Præpositorum, sive soli Episcopi, sive cum Presbyteris juncti intelliguntur, utrobique, Seniores primo loco nominantur. Nec Seniores possunt dici de Presbyteris; neque enim usquam, legitur, quod sciam, ex quo cœperunt nominibus & muneribus distingui Episcopi à Presbyteris, in recensione ordinum Ecclesiasticorum, Presbyteros præponi Episcopis. Hic interim habes Seniores, sanè Laicos, quotannis cum Præpositis vocatos ad Concilium, & adesse jussos ex necessitate implendi officii quod sustinent; non verò quod eos non vocare integrum, aut eis abesse licitum sit. Sed mihi Cyprianus est instar omnium, apud quem plusculis in locis lego, Laicos cum clero convenisse, ut lapsorum causa agitaretur. Epist. 52. ad Antonianum, loquitur de *collatione facta cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, confessoribus, pariter ac stantibus Laicis.* Itidem Presbyteri Romani epist. 31. ad Cyprianum agunt *de collatione facienda cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, pariter ac stantibus Laicis.* Pamelius ratus incongruum, ut Laici unà cum Episcopis jus habeant sententiæ in Conciliis, per *stantes* intelligit vel permanentes in fide, vel lapsos; sed tunc vult stantes dici quasi astantes. Crediderim epist. 14. per *Stantes Laicos*, intelligi in fide perseverantes; verba sunt. *Vt Episcopi plures in unum convenientes præsente & stantium plebe disponere omnia consilii communis religione possimus.* Sed non, si hic & alibi per *stantes* intelliguntur

liguntur non lapſi ; impedit quò minùs cum Epiſcopis Laici convenerint ad deliberandum & conſultandum. Porro Laicis juris eſſe & moris fuiſſe, conſidere in Synodis, pluribus probat tractatu ad id edito, vir illuſtris *Edwardus Dering*, Baro ſecundi generis, & comitiorum Senator.

Habes, Iſcane, tuæ Reſponſionis diſcuſſionem, in quâ non tam reſpondi ad id quod dixiſti, quod ſanè maximam partem jejunum fuit, quàm quod dicere voluiſti. Quam velim ut ait Auguſtinus epiſt. 74. te *veritas vincat volentem*, nec moleſtus eſſe pergas mihi, qui in præſens aliud habeo quod agam. Si tamen apud te ſtatuiſti aliquid regere & me iterum laceſſere ; ſcito te non inultum abiturum, teque damno tuo crabrones irritaturum; atque plus ſatis otii ſuffuraturum me, quo te probè multem; generosè tamen & candidè, atque procul à conviciis, & cum eâ modeſtiâ quâ tecum uſus ſum, quamque in te deſidero: Porro da nomen & laruam detrahe, priuſquam in arenam deſcendis ; nec te pudeat partus proprii. Neque faſtidium creent lectori, quæ ad nauſeam inculcas, & quæ mihi tam liberaliter impertis elogia, Ignari, Indocti, Scioli, Tyronis, & quæ non? reputans apud te inglorium eſſe vincere tyronem, qui ſanè quiſquis ſit, fortaſſis tibi palmam præripiet, antequàm è carceribus exierit: ut ut ſit, da operam ut potius rationibus, vel vincas, vel flectas, ultroque ad tuas partes trahas, quàm contumeliis eneces: & ſiquidem tuo judicio meæ

X 3 chartæ

chartæ sunt indoctæ & vix ipso contemptu dignæ, nec sapiunt tuo palato; ni ultro hæc verba exedis, age, limatiora ede, & à nemine operam exposcens, saniora atque doctiora edoce.

ADMONITIO.

NE pariat tædium Lectori hæc dissertatiuncula, continuato orationis filo texta, absque ullâ capitum distinctione, quâ, quid in ea tractatur, indicetur; placuit ejus summarium, & præcipua capita hîc ad calcem attexere.

An

Porro quia non habui perpetuam operarum inspectionem, irrepserunt plusculis in locis menda, quanquam non in omnia exemplaria.

LEge, *pag*.1.*l*.15.*Protestantium*. *p*.9.*l*.10. *fuerint*.*l*.25. *arripuerint*. *p*.10.*l*.3 *caligine*.*p*.15.*l*.1. *quarum*.*l*.22. *Hierarchiæ*.*p*.17.*l*.5.*detexuit*. *l*.ult. dele. *sed*. *p*.22.*l*.24. *eadem ferè*. *p*. 23. *l*.17. *qui*. *p*. 26 *l*.5. *Presbyteri*. *l*. 11. lege 24. *p*.29 *l*.5.*ponatur*.*p*.33.*l*.5. *desidiam*.*p*.41.*l*.19. *reformatas*.*l*.25.dele. *Haud*.*p*.42.*l*.10. *arcessere*. *l*.22.*parere*. *p*.43. *l*.6. *Testes*. *l*.11.*ex orco*.*l*.14. *ut quis ob*.*l*.27. *Iesu*.*p*.45.*l*.11. *persolvitur*. *l*. 17. *cœmeterio*.*p*.48.*l*.16. dele. *parendi*. *p*.51. *l*.14.*minimi*.*l*.23.*velificentur*. *Sed*.*p*.55.*l*.27, *fuerint*.*p*.65.*l*. 26.*qui*.*p*.67.*l*.16.*Presbyterii*.*p*.76.*l*.11. ὑπεροχὴν.*p*.79.*l*.16. *quas subjungam*. *p* 80.*l*.7.*seu illos qui*.*p*.83. *l*.19. *patet*, *vel Petrum solos*.*p*.86.*l*.13.*quod pro*.*p*. 89. *l*.16.*qui*. *l*.26. *semper eos voce*.*p*.90.*l*.4. *Antiochena*.*p*.92.*l*.11. πρόβατον.*p*.95.*l*. 13.*qui utique*.*p*.96.*l*.6.*dissensisse*.*p*.103.*l*.5.*poscat*. *Is*.*p*.112. *l*.24.*ab Hier*.*p*.113.*l*.20.*legationi*. *p*.115.*l*.25. *Metropolites à Patriarcha*.*p*.127.*l*.21.*probaturc*.*p*.129.*l*.19.*petita*.*p*.137. *l*.15.*de quibus Hieron*.*p*.142.*l*.8. *defecerant*. *p*.147.*l*.15. *infligat*.*p*.157.*l*.13. *regerere*.

FINIS.